Dissertatione academica argumentum juris canonici de medicorum animae et corporis in sanandis aegris conjunctione / Proponit ... Georgius Ludovicus Böhmer.

Contributors

Böhmer, Georg Ludwig, 1715-1797.
Böhmer, Justus Henning, 1674-1749.
Universität Halle-Wittenberg.

Publication/Creation

Halae Magdeburgicae : Typis Joannis Henrici Grunerti, [1736]

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/b7ct2dtd

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

A
XXX
IX
8/6

In der Fortsetzung dieses Werkes, erscheint eine Uebersicht der diplomatischen Verhandlungen des wiener Congresses über wichtige Angelegenheiten des teutschen Bundes. Namentlich über Errichtung und Wirksamkeit eines Bundesgerichtes; über die Vertretung des Volks bei der Landesregierung durch Landstände; bei Bestimmung der Rechte der Unterthanen in den teutschen Bundesstaaten, ausser der landständischen Verfassung, dem Bundesgericht, und den Rechten der Landesherren; über den künftigen Rechtszustand der Standesherren oder ehemaligen, jetzt untergeordneten, reichsständischen Landesherren von fürstlichem oder gräflichem Stande; über Bestimmung der Rechte der katholischen Kirche und der evangelischen Kirchengesellschaften in den teutschen Bundesstaaten; über die Pensionen der Mitglieder, sowohl der secularisirten teutschen Erz-, Dom- und andere geistlichen Stifte auf beiden Seiten des Rheins, als auch des teutschen Ordens, so wie des Fürsten Primas, Erzbischofs von Regensburg, gewesenen Großherzogs von Frankfurt; vielleicht auch Betrachtungen über das Werk des Hrn. de Pradt, du congrès de Vienne.

14234/p

DISSERTATIONE ACADEMICA

ARGVMENTVM IVRIS CANONICI

DE

MEDICORVM ANIMAE ET CORPORIS IN SANANDIS AEGRIS CONIVNCTIONE

occasione c. 13. X. de poenitent. & remiss.

IN REGIA FRIDERICIANA

PRAESIDE

PATRE

IVSTO HENNINGIO BÖHMERO

ICto

D. XXIV. MARTII MDCCXXXVI.

H. L. Q. C.

PVBLICAE DISQVISITIONI VENTILANDVM PROPONIT

FILIVS

AVTOR

GEORGIVS LVDOVICVS BÖHMER

HALENS. LL. CVLT.

HALAE MAGDEBVRGICAE,

TYPIS IOANNIS HENRICI GRVNERTI, ACAD. TYPOGR.

WELLCOME INSTITUTE LIBRARY

DISSERTATIO

DE

MEDICORVM ANIMAE ET CORPORIS CONIVNCTIONE IN SANANDIS AEGRIS.

§. I.

Fundamentum huius argumenti.

Ium pariter ac ſalutare eſt decretum INNOCENTII III., quod coniunctionem medicorum corporis & animæ inter ſe deſiderat, vbi æger ſanandus. Etenim *in c. 13. X. de pœnit. & remiſſ.* decreuit: *Cum infirmitas naturalis nonnunquam ex peccato proueniàt, dicente domino languido, quem ſanauerat: Vade & amplius noli peccare, ne deterius aliquid tibi contingat: præſenti decreto ſtatuimus, & directe præcipimus MEDICIS CORPORIS, vt cum eos ad infirmos vocari contigerit, ipſos ante omnia moneant, & inducant,*

vt MEDICOS aduocent ANIMARVM: vt postquam fuerit infirmo de spirituali salute prouisum, ad CORPORALIS MEDICINAE remedium salubrius procedatur, cum caussa cessante cesset effectus. Hoc quidem inter alia huic caussam dedit edicto, quod quidam in ægritudinis lecto iacentes, cum eis a medicis suadetur, vt de animarum salute disponant, in desperationis articulum incidunt, vnde facilius mortis periculum incurrunt. Si quis autem medicorum huic nostræ constitutionis, postquam per Prælatos locorum fuerit publicata, transgressor exstiterit, tamdiu ab ingressu ecclesiæ arceatur, donec pro transgressione huiusmodi satisfecerit competenter. Ceterum cum anima multo pretiosior sit corpore, sub interminatione anathematis prohibemus, ne quis medicorum pro corporali salute aliquid suadeat, quod in periculum animæ conuertatur. Animaduerterat pontifex, plerosque ægrotantes tantum corporis rationem habere, negligere vero curam animæ: implorare quidem auxilium medicorum, vt *corpori ægrotanti* medicinam adhibeant, sed reformidare solatia, adhortationes, aliaque media saluti profutura, quæ confessionariis demandata sunt, parochisque. Persuasum eo iam tempore habebant morbo grauiori laborantes, horum aduentum certum esse mortis nuncium: se ex medicorum iudicio præsenti periculo mortis expositos, nec spem vitæ superesse. Asserit enim pontifex, *inter alia* hoc quoque caussam huic edicto dedisse, quod quidam in ægritudinis lecto iacentes, cum eis medici autores sunt, vt de *animarum salute* cogitent, in desperationem mox incidant, qua vel sola mortis periculum promovetur. Ne ergo ægrotantes formidinem instantis mortis & morbi periculosi ex hac *medicorum corporis* adhortatione capiant, consultissimum atque salutare fore credidit, vt in genere medicis, quibuscunque morbis laborent ægrotantes, iniungatur, de his inducendis, vt *medicos animæ* mature aduocent, si vel maxime nullum mortis periculum subsit. Hæc enim lex, si generatim omnibus ægris imponitur, eis suspicio peri-

periculi atque mortis præsentis metus non tam facile possunt mentem tristem turbare, nec ad desperationis articulum eos adducere, vt pontifex loquitur.

§. II.

Quoniam *officium medicorum corporis* in textu adducto instruitur, facile intelligitur, per eos intelligi, qui in arte medica probati corpori ægrotanti remedia idonea pro reparanda valetudine labefactata adhibent, & sic *curam corporis humani infirmi* gerunt. Cum vero *ars sanandi* nihil magis, quam per imperitos, circumforaneos, & empyricos, quos agyrtas ipsis etiam prædonibus longe nocentiores vocat GVIDO PANCIROLLVS *in novis repertis tit. I. p.* 99. & quorum copia vbique adest, impediatur; rei conducit publicæ, vt non quiuis, sed *probati medici* ad sanandos ægros publica autoritate constituantur, reliqua autem turba ab his præsepibus arceatur. (a) PLATO *de republica L. III. bonos*, inquit, *medicos habere oportet in ciuitate, qui ab ineunte ætate vltra discendæ artis studium, inter plurimos corpore male adfectos fuerint versati.* Apud Romanos olim singulorum municipiorum magistratibus iniunctum erat, *vt certi de probitate morum & peritia artis eligerent ipsi, quibus se, liberosque suos in ægritudine corporum committerent L. 1. D. de decret. ab ord. faciend.* Præterea hi demum probati, qui *intra numerum* erant, quique primis, qui in ordine reperiebantur, septem vel eo amplius iudicantibus idonei approbati essent. *L. 10. C. de professor. & medic. Lib. X.* Neque vero hodie hæc sollicitudo publica abiicienda, sed cura salutis singulorum postulat, vt in quauis ciuitate probati tantum medici ad artem sanandi adhibeantur, ceteræ autem turbæ obex ponatur. Ita censuit

Medici corporis.

(a) Pia atque saluberrima sunt desideria IANI LANGLAEI *Semestr: L. VIII. C. XV. p.* 591. *Id præterea a magistratibus constitui inuiolateque seruari velim, ne medicus aut chirurgus, pharmacopeusque quisquam ad artis suæ exercitium admittatur, nisi prius doctrinæ suæ periculum fecerit.*

Carolus V. in art. 134. *constit. crim.* und soll in diesem Fall allermeist Achtung gehabt werden auf leichtfertige Leute, die sich Artzeney unterstehen, und die mit keinem Grunde gelernet haben. Pariter in *Ordin. Polit. Magdeb. C. XXV.* plurima, quæ ad probatorum medicorum officium & spartam pertinent, constituta quidem sunt: sed sapientiori consilio *collegium medicum*, quod Berolini, in sede regia est, huius gratia erectum, cui hoc negotium datum per *edictum medicinale de a.* 1685. ne cui nisi ex iudicio & *collegii medici* auctoritate artem sanandi exercere liceret. Hoc salutare institutum variis accessionibus edicto medic. nouo auxerat FRIDERICVS I. immortalis memoriæ Rex: ast potentissimus Rex noster, quoad eius fieri potuit, postea id perfecit atque consummauit, prudentissime sanciendo, vt qui artem sanandi exercere cuperent, non publicis solum testimoniis artis medicæ scientiam *collegio Medico* testatam redderent, sed etiam vt inprimis in *theatro publico Anatomico*, præsentibus & iudicantibus collegii medici professoribus, sectione cadaueris humani publice instituta, cognitionis in re anatomica acquisitæ specimen ederent. Cauta hæc sunt duplici edicto medicinali, altero *a.* 1715. altero *a.* 1725. promulgato, in quorum vltimo, quæ tit. *de medicis §. 2. p.* 14. constituta sunt, in rem præsentem facere videntur: daß kein Land- oder Stadt-*Physicus* in unsern *Prouincien* und Städten angenommen werde, noch weniger ein *Doctor Medicinæ* in unsern Landen *practiciren* solle, er habe sich dann zuvor bey unsern *Collegio medico* angegeben und gemeldet, seine gehaltene *dissertationem inauguralem* und andre *testimonia publica producirt*, auch einen aufgegebenen *casum medico-practicum elaborirt*, über welchen er den Befinden nach *examiniret* werden soll, auch nechstdem auf Veranlassung unsers *Collegii Medici* beyn Königl. *theatro anatomico* seinen *cursum anatomicum* in 6, dazu bestellten *lectionibus* in denen dazu verord-

ordneten Winter-Monathen durchgemachet. (b) Quibus ita probatis & in re medica versatis medicis eo facilius se suamque salutem committunt ægrotantes, quo maiorem post Deum fiduciam in eius peritia & fidelitate collocare queunt; vnde sponte inducuntur, vt eius præceptis se submittant, debitoque honore eundem adficiant. Hæc fuit sententia SYRACIDIS *cap. XXXVIII. 1. sqq.* inquientis: *honora medicum propter necessitatem: etenim illum creauit altissimus: A Deo est enim omnis medela & a rege accipiet donationem. Disciplina medici exaltabit caput illius & in conspectu magnatum collaudabitur. Altissimus creauit de terra medicamenta & vir prudens non abhorret illa.* Vnde nascuntur *mutua officia* medicorum erga *infirmos*, & horum erga *medicos*, quæ singulari cura explicuit THOMAS ACTIVS *de infirmitate eiusque priuilegiis & effectibus*, hic binis tantum tangenda verbis, quod circa *vnicum* tantum *medicorum officium* omnis mea occupata sit meditatio, huc tendens vt aegrotantes ad *medicinam animæ spiritualem* quærendam inducantur.

§. III.

Quamuis vero id inprimis, quod ad confirmandam corporis incolumitatem pertinet, proprie *medicaminis* nomine veniat: illius tamen vocis significatus ad omne, per quod id, quod corruptum ac deprauatum est, integritati suæ restituitur simili- Medicinæ varius significatus.

tu-

(b) Idem studium fuit GREGORII XIII. qui peculiari bulla 1576. promulgata, & *tom. II. bullarii M. p.* 407. inserta, decreuit, vt collegium Physicorum, quod Romæ floret, examen eorum, qui medicinam publice profiterentur, susciperet, & quos ad medicinam exercendam non idoneos nec sufficientes reperierint, exercitio medicinæ prorsus interdicerent; seu ab ipso exercitio ad tempus, & donec in hoc studio maiores fecerint profectus, suspenderent; aut eis, ne dictam artem nisi cum præsentia alterius, vel aliorum medicorum idoneorum, & collegio isto approbatorum vllatenus exercere audeant, prohiberent.

tudinis ergo extendi ſolet. Ex eadem ratione etiam illud, quod in rebus vitioſum eſt, improprie *morbum* appellari audimus. Neque illud inuito Latio fieri puto. Ipſe CICERO variam laudat *medicinam*, aliam *calamitatis*, aliam *doloris*, aliam *temporis*, aliam *periculorum*, aliam *conſilii*, aliam *conſularem* medicinam. IDEM in *orat. pro Sylla* elegantiſſime, *ex magnis*, inquit, & *diuturnis & iam deſperatis reipubl. morbis iſta repentina vis erupit, vt ea confecta & eiecta conualeſcere aliquando & ſanari ciuitas poſſit.* Quandoquidem respubl. inſtar *perſonæ*, de cuius vnice ſalute agitur, repræſentari ſolet: eadem illa quoque variis infirmitatibus variisque, quæ ſalutem eius debilitant, morbis haud incongrue ſubiecta eſſe dicitur. Vnde TH. HOBBESIVS in *tr. de ciuitate eccleſ. & ciuili cap. 29. p.* 151. alios reipublicæ admodum moleſtos morbos *febri tertianæ*, alios *pleuritidi* egregie comparat. Vti igitur cuilibet ægroto, ita laboranti etiam reipublicæ commoda ac ſalutari medicina proſpiciendum, & nouis ciuium morbis noua quotidie antidota præparanda ſunt, monente ipſo pontifice in *c.* 5. *X. de iuram. calumn.* Præclare ad rem faciunt iſta IVSTINIANI in *Nou. CXI. pr. Quod medicamenta morbis, hoc exhibent iura negotiis.* Negotiis ciuium vitium adhæret, ſimulac illa cum æquitate naturali pugnant, vel communem lædunt ciuium ſalutem. Hinc per iura legesque, quarum quaſi medica vis omnis in reparanda, ac tuenda reipubl. incolumitate poſita eſt, medela eiusmodi negotiis adfertur, ne noceant, & moleſta amplius reipubl. ac adverſa ſint. (c) Eadem patrum in Concilio Lateranenſi congregatorum fuiſſe videtur philoſophia ab INNOCENTIO III. in *c.* 11. *X. de accuſat.* relata, qui conſideratis, quæ tum ex maligna & iniuſta accuſatione, tum ex nimia delictorum impunitate deſcendunt, damnis contra *morbum vtrumque congruam medicinam*, puta

Medicina legalis,

(c) Vnde eiusmodi vulneribus *medicina inſtitiae* adhiberi dicitur in *Capitul Regum Francor.* apud STEPH. BALVZIVM *tom. I. L. VI. p.* 980.

ta inſcriptionem in crimen, inueniſſe dicuntur. Ciuium vero morbis vti leges ſalubribus medentur remediis, pœnis atque poemiis optimæ inſtar medicinæ præſcriptis: ita iudices, quibus pro ciuium ſalute euigilare conuenit, legum medicamina diſpenſare, iisque, quibus iniuria damnumue infertur, velut ægrotis ſubuenire tenentur. Hinc DIOCLETIANVS & MAXIMINVS IMPERATORES in *l.* 8. *C. de euictionib.* eleganter reſcripſerunt: *in damnis, quæ te toleraſſe meminiſti, Præſes Prouinciæ MEDELAM IVRIS adhibebit.* Simili in ſenſu *medicina animæ* paſſim deprehenditur. Veteres quidem ſub nomine eius, quicquid ad animum quomodocunque laborantem emendandum & curandum pertinere videtur, latiſſimo ſignificatu comprehendiſſe videntur. Sanitatem enim animi in *tranquillitate mentis* conſtituerunt Stoici, teſte CICERONE *Tuſcul. quæſt. lib. I. c. IV. tom. II. edit. Lond. p.* 374. e contrario quamlibet *animæ perturbationem* morbum appellarunt, *teſte* EODEM *cit. l. p.* 375. & huic propellendo *philoſophiam* promtam medicinam fore arbitrati, quod remedia hos curandi morbos ſuppeditaret. *Itaque, quid*, inquit TVLLIVS, *qui pecuniæ cupiditate, qui voluptatum libidine feruntur, quorumque ita perturbantur animi, vt non multum abſint ab inſania, quod inſpicientibus contingit omnibus, his nullane adhibenda curatio? Vtrum quod minus noceant animi ægrotationes, quam corporis? an quod corpora curari poſſint, ANIMORVM MEDICINA nulla ſit? cit. loco p.* 375. Tandem in ſequentibus addit: *eſt profecto animi medicina philoſophia.* (d) Neque vero in hoc ſubſtiterant veteres, ſed, quod plane ſingulare eſt, *animæ* curandæ ergo naturalia medicamenta, herbas, aliaque pharmaca quæſierunt, vt luculentis documentis oſtendit ANDR. TIRAQVELLVS *de nobilitate tom. I. C.*

Quæ veteribus animi medicina?

(d) Vnde & hodie illa philoſophiæ pars, quæ *Logicam* tradit, *medicina mentis* audit, quo nomine Logica venit Ehrenfrido Walthero a TSCHIRNHAVSEN aliisque.

Vtraque corporis & animi medicina in ægroto curando apud veteres coniuncta fuit.

XXXI. n. 295. *& seq.* Rationem in eo posuerunt, quod *corporis* valetudinem ab *anima* inprimis pendere, adeoque etiam vtriusque *corporis* & *animæ curationem* coniungendam esse censuerint. (e) Ex qua opinione porro alii intulerunt corpore laborante, *animo* primario *medicinam* parandam, vt, eo saluo, saluum reddatur corpus. Ipse GALENVS *Lib. I. περὶ ὑγιείας* haud paucos sanasse asserit, solis animi motibus ad debitum motum reuocatis. IOANNES DAMASCENVS quoque *aphorismo XXII.* aperte defendit, cum corpus patitur, & principalia maxime membra adfliguntur, animæ medicinam esse adhibendam. Hinc factum est, vt insignem in ægrorum curatione vim *musicæ* attribuerint veteres, quod animus per cantum refici, & ægritudines mitigari censerentur. (f)

§. IV.

Sed hæc hactenus de ea, quæ apud gentiles obtinuit *animi corporisque* coniuncta *curatione.* Neque enim ei vlterius immo-

(e) Veterum sententiam GALENVS in peculiari libello, quem inscribit, *quod animi mores corporis temperaturam sequantur*, plenissime enucleat: eandem neruose explanat A. GELLIVS *in Noct. Atticis Lib. IV. C. XIII. Tanta prorsus est affinitas corporibus hominum mentibusque, & præterea quoque vitiis aut medelis animorum & corporum.*

(f) *Creditum hoc est a plerisque & memoriæ mandatum*, inquit GELLIVS l. c. *ischiaci, cum maxime doleant, tum si modulis lenibus tibicen incinat, minui dolores. Ego nuperrime in libro Theophrasti scriptum inueni, viperarum morsibus tibicinium scite modulateque adhibitum mederi. Refert etiam idem Democriti liber, qui inscribitur περὶ λοιμῶν ἢ λοιμικῶν κακῶν. In quo docet, pluribus hominum morbis medicinam fuisse incentiones tibiarum.* Quinam morbi modulorum præsidio curati fuerint, ostendit PETRVS LAMBECIVS *ad cit. Gellii locum in editione fratrum Gronouiorum p.* 289. eoque non morsus viperarum solum, sed & ipsam adeo phrenesin, febrim, pestilentiam, surditatem, & plures alias refert animi corporisque afflictiones.

morari instituti ratio patitur, cum illam potius doctrinam, quæ *animæ* medicinam copulandam cum *corporis sanatione* iubet, ex canonum principiis eruendam & examinandam susceperim. Videlicet sicuti duplex in primis medicina *naturalis* & *spiritualis* est; ita quoque præter *corporis medicos* dantur *medici animæ*, qui eam a *morbis spiritualibus* liberare, & ad vitam nouam deducere curant omni ope. Etenim CHRISTVS fons omnis nostræ salutis, & ægrotantis animæ medicina *medici* apellationem optimo iure sibi vindicauit *Matth. IX*, 12. *Luc. V*, 11. *Marci II*, 17. cuius fundamentum primarium tradit *Esaias LIII*, 5. Imo non tantum *medicus animæ* sed *corporis* etiam fuit, quamuis medicinam eam adhibuerit, quæ vires naturales omnes superabat. Optime AVGVSTINVS in *c.* 32. *de pœnit. D.* 3. *Ideo etiam tot sanauit febricitantes, tot languidos, tot claudos, cœcos, aridos, ne desperet de se peccator.* Sanando corporales defectus, & quidem non *arte medica* sed *miraculoso* prorsus *modo*, se legitimauit vt vnicum animæ & salutis nostræ principem medicum, ad quem toties confugiendum, quoties anima ægrotat. *Medicum se vocat*, pergit AVGVSTINVS *cit. l. & non sanis sed male habentibus opportunum. Sed qualis hic medicus, qui malum iteratum nesciret curare? Medicorum est, centies infirmum visitare, centies curare.* Ipsa medicina, quæ spiritualiter ægrotantibus præscribitur, in *conversione & seria pœnitentia* consistit, *c.* 77. *de pœnit. D I.* quæ principi nostræ salutis medico curæ cordique fuit. Hæc falli nescia est, excellentior medicaminibus arte hominum compositis, & ad *morbos internos* depellendos aptissima. CHRYSOSTOMVS *homil. in Ps. VI. tom. I.* hoc eleganter illustrat, & præmissis quatuor vel quinque momentis, quæ in medicis reperiuntur, hoc quoque addit, artem nonnunquam hæsitare, nec exitum inuenire, & vim medicamentorum aliquo casu effugere. *In DEO autem*, pergit, *hoc non est, sed si cum medico steteris, vlcus omnino curandum est. Non est enim ars humana, vt dubitet: sed diuina facultas, quæ & naturas & morbos & improbitatem & omne*

Medici animæ.

Christus medicus animæ.

Deus medicus animæ.

omne deinceps vitium superat. Et ideo hic quoque, (Psalmista) *cum ad DEVM tanquam ad medicum accessisset, dicebat: Sana me Domine &c.* In eandem sententiam abit AVGVSTINVS in *enarrat. in Ps. CII. tom. IV. edit. Paris. p.* 1114. *Sanabuntur,* inquiens, *languores tui; noli timere. Magni sunt: sed maior est medicus. Omnipotenti medico nullus languor insanabilis occurrit.* Quod cum in sequentibus pro ingenui sui abundantia eleganter illustrat: tum quare tanta inprimis in desperatis morbis fiducia in *DEVM medicum* collocanda, rationem addit cit. l. & *Deus,* inquit, *fecit corpus tuum, Deus fecit animam tuam; nouit, quemadmodum recreet, quod creauit, nouit, quemadmodum reformet, quod formauit.* Hæc medicina diuinior in sacris litteris tanquam in *officina quadam* nobis est proposita, cuius *lectio medicinalis officina* est, vt CHRYSOSTOMVS *tom. V. homil. LVIII. de vita monachor.* pluribus illustrat. Hæc *medicinalis officina* vniversalis est, ad eamque omnibus, qui quomodocunque animo laborant, aditus patet, vt ibi remedium quærant ad depellendos, quibus exagitantur, morbos opportunum. Hanc viam homini Christiano non sine acumine commendat AVGVSTINVS *Serm. I. in Ps. CXXXVI. tom. IV. p.* 259. *Namque omnis morbus animi habet in scripturis medicamentum suum: qui ergo sic ægrotat, vt ista dicat in corde suo, bibat potionem Psalmi huius.* IDEM porro *tom. V. Serm. XVII. Ps. XLIX. p.* 96. *in f.* orationem inprimis dominicam ceu *quotidianam medicinam* commendat, in qua oramus: *Dimitte nobis peccata nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Mox vero addit: *sed quod grauius est, ipsam medicinam hi homines contemnunt, vt non solum non dent veniam: quando in illos peccatur, sed nec velint petere, quando ipsi peccant,* Nihilominus tamen semper *hæc medicina* in promtu est, & medicorum spiritualium princeps semper auxilium suum offert ægrotantibus, quorum in numero omnes sunt homines. Recte IDEM *tom. V. Serm. LXXXIX. p.* 468. *edit. Paris. Aegrotat hominum genus non morbis corporis sed peccatis. Iacet to-*

to orbe terrarum ab oriente vsque in occidentem grandis ægrotus. Ad ſanandum grandem ægrotum deſcendit omnipotens medicus. Humiliauit ſe vsque ad mortalem carnem tanquam ad lectum ægrotantis. Dat ſalutis præcepta, contemnitur: qui audiunt, liberantur &c. Vbique enim *medicorum* more nobiscum agit. Medici omnia ex ſanitatis norma dimetiuntur, ideoque ægrotorum non ſemper obtemperant voluntati; ſed ingrata & amara, cum cupiunt grata, decernunt. *Crudelis enim*, docente AVGVSTINO in *Pſ. XXIII. tom. IV. p. 225. foret medicus, qui exaudit hominem, & parcit vulneri & putredini.*

Medicorum more nobiſcum agit.

§. V.

Quemadmodum vero, qui medici officio defungitur, *medicina*, qua ægrotorum valetudini proſpiciat, opus habet; ita medicorum princeps apparatu medicinæ locupletiſſimo ægrotanti terrarum orbi ſubuenit. Quanti pretii ſit hæc medicina AVGVSTINVS docet *Serm. CXXV. tom. V. p. 836. ille autem etiam de ſuo ſanguine ægrotis medicamenta faciebat;* & in ſeqq. dominum ipſum hoc ſanguine ægris antidotum paraſſe, ac ipſam mortem ſuam ad medicamenti confectionem impendiſſe, eleganter declarat. Multum quoque auxilii multumque ad morbos animæ ſanandos præſidii in ſacris litteris poſitum eſt. Vnde recte HILARIVS *oper. p. 58.* poſtquam medendi ægrotantis generis humani neceſſitatem adſtruxerat, *opus erat medico*, inquit, *qui vna atque eadem auxilii ſui ope vniuerſa curaret, & tot ac varios in toto orbe languores non arte, non opere, ſed verbi poteſtate ſanaret.* Nec minorem medicinæ apparatum in *eccleſia* deprehendes, quæ *ſacramenta* in animæ ſalutem quotidie diſpenſat, & verbo diuino animam ægrotantem paſcit, quæ quidem iuxta mentem *ſcripturæ ſ.* ſufficiunt, ad eam alleuandam. Audiamus etiam paucis, quæ *Romana eccleſia* medicamina commendet, ſuggerat, & proponat. Hæc vti gratioſa erga eos, qui eius miſericordiam implorant, & *indulgentiſſima mater* vocatur: ita maternam in ſanandis animo ægrotis ponere ſollicitudinem, omni-

Medicina diuina.

Eccleſiaſtica medicina ab eccleſia Roma-

na tanquam omnium matre petenda dicitur.

omniumque ſalutem *materna caritate* conquirere dicitur. *c.* 25 *c.* 23. *q.* 4. Ita enim NICOLAVS I. *epiſtola ad Hermentrudam Franciæ reginam a.* 863. ſcripta, ab AVBERTO MIRAEO *tom. I. Op. p.* 133. inſerta: NICOLAVS &c. *Fidelium vniuerſitas gentium ex variis mundi partibus, cuiuscunque ſint ordinis vel ætatis, ſi qua forte criminis noxa, vel ſeniorum ſuorum formidine detinentur, ad hanc ſanctam omnium terrarum matrem, eccleſiam Romanam, vt ſalutare percipiant REMEDIVM, recurrunt, & ab ea non ſolum ANIMAE ſed & CORPORIS ſaluationem (vt omnibus patet) humili prece ſuſcipere precantur. Quibus multis diuinitus fulta auctoritatibus, & ſanctorum patrum roborata documentis, materno amore ſolamina ſubminiſtrat, & ſugenda vbera conſolationis compatiendo inferre minime recuſat.* Eccleſia igitur inſtructiſſima ornata eſt *officina medicinali*, in qua immenſus & inexhauſtus *infinitorum meritorum Chriſti & ſanctorum theſaurus* ex iuris canonici ſententia reconditus eſſe dicitur; ex quo indulgentiſſima mater indulgentias inſtar medicamentorum admodum efficacium atque ſalubrium plena manu diſpenſat, ceu pluribus argumentis hæc exſecutus eſt *venerand. Dn. Parens in diſſ. prælim. ad Tom. IV. Iur. Eccleſ. Proteſt.* Porro eccleſiaſticæ medicinæ in cenſu *eleemoſynæ* quoque, *ieiunia* & *orationes* habentur. *c.* 4. *C.* 33, *qu.* 1. Ipſe AVGVSTINVS *Serm. IX. tom. V. p.* 61. *Exercete vos*, inquit, *in miſericordia, exercete vos in eleemoſynis, in ieiuniis, in orationibus. His enim purgantur quotidiana peccata.* Hisce medicamentis ſingularem vim atque virtutem tribuit MARTIVS Vicarius Apoſtol. ſedis generalis in edicto a IO. LAVNOIO *oper. tom. II. P. II. p.* 699. relato, quo, vbi Pontificis iuſſu in quadrageſimalibus vtendi carne licentiam conceſſerat, hæc in fine addit *Inde hortatur omnes, vt datam in quadrageſimalibus cibis veniam frequenti ſacramentorum ſuſceptione compenſent, eleemoſynas & preces augeant, quo tam naturalia quam ſupernaturalia remedia morborum reliquias expurgare queant.* Ex his vero, quibus

Ad illam pertinent 1) indulgentiæ.

2) eleemoſynæ & ieiunia.

bus medicamentis inſtructum ſit eccleſiæ Romanæ armarium, ſatis ſuperque intelligi poteſt. Inter plura alia, quæ hic enarrare inſtituti ratio non patitur, vnicum illud addere liceat, cui non minorem quam ceteris vim attribuunt. *Bona opera* intelligo, inter quæ templorum exſtructiones & piis corporibus factæ donationes primum locum tuentur. Cuius animæ medicaminis, incredibile eſt dictu, quantus olim inprimis vſus fuerit, & quanto ſtudio illud in *animæ remedium* laicis laborantibus commendauerint clerici. Neque huius rei ratio ex alto eſt petenda. Si qua enim medicina vnquam eccleſiæ lucroſa exſtitit: hæc profecto fuit, qua nouas quotidie acceſſiones eccleſiis, monaſteriis, abbatiis, balliuiis, epiſcopatibus fieri, remque publicam eccleſiaſticam rerum gerendarum neruo inſtrui ac firmari videbant. Quid mirum itaque, quod tantas eiusmodi donationibus adſcripſerint virtutes, tamque abundantem in ſanandis peccatis efficaciam, vt eas non largitori ſolum, ſed eius quoque parentibus ac propinquis, cum viuis tum iam demortuis, inſtar remedii ſalutem animæ promouentis profuturas crediderint, ſperantes fore, vt illi in *peccatorum remiſſionem*, his vero in promtiorem e purgatorio liberationem cederent. Quod vti ex omnis æui antiquitatisque documentis teſtatiſſimum eſt: ita quibusdam donationum piis collegiis factarum inſtrumentis illuſtrare iuuabit, quæ præter CAROLI MEICHELBECKII *hiſtoriam Friſingenſem* alioſque ſuppeditat *illuſtr. Fridericianæ Cancellarii* DE LVDEWIG inſtructiſſimum *reliquiarum MStorum medii æui diplomatum* opus. Formula diplomatis *lib. V. tom. VI. p.* 402. relati, quo Sileſiæ Dux BOLCKO monaſterio Griſſouienſi quædam per modum teſtamenti a. 1360. reliquerat, hæc eſt; *imo etiam vt ſalus noſtra augeatur, quam auctore domino ſperamus in futurum, in noſtræque & progenitorum noſtrorum animarum ſalutare remedium diſponere decreuimus.* Alia formula occurrit in diplomate BOLESLAI *lib. V. tom. cit. p.* 442.: *Nos Boleslaus D. G. Dux Sileſiæ pro noſtra & noſtrorum incolumitate & delicto-*

3) donationes in remedium animæ factæ.

lictorum nostrorum apud patrem misericordiarum Deum venia obtinenda monasterio de Cresowbor ordinis S. Benedicti ducentos mansos Francicos liberaliter contulimus. Inprimis notatu digna formula est diplomatis *L. I. tom. cit. p.* 469. quo Hermannus de Reichenbach Cœnobio Grissouiensi a. 1323. censum donauit: *in remedium nostrorum peccaminum liberorumque nostrorum, ac pro salute dilectarum Hedwigis quondam matris nostræ, & animæ olim coniugis nostræ Elizabeth quoque matris præfatæ coniugis nostræ iam defunctarum dedimus &c.* In innumeris aliis in quibus eiusmodi piæ donationes leguntur, documentis nihil frequentius est formula: *in remedium & salutem animæ; ob æternum remedium animæ.* vid. *tom. VI. p.* 51. *p.* 424. *pro remedio peccatorum, mortis, nostraque & parentum nostrorum æterna salute. tom. V. L. III. p.* 425. Quæ omnia satis superque declarant, *salutaris* instar *medicinæ* ad sanandos animæ morbos eiusque salutem restituendam adaptatæ, laudatam fuisse piam erga ecclesiam liberalitatem.

§. VI.

Ministri ecclesiæ animæ medici.

His igitur, quæ ad *animæ medicinam* spectant, perpensis, quinam in ecclesia *animæ medici* officio fungantur, facilis est coniectura. Etenim hæc prouincia primario *ministris ecclesiæ* demandata est. Qui cum ad verbum diuinum docendum & ad administranda sacramenta constituantur; in his duabus partibus vero *animæ medicina* potissimum posita sit: reuera ad hanc dispensandam vocantur, ideoque *animæ medici* dici merentur. Quod nomen illis tribuere ipse nullus dubitauit AVGVSTINVS in *Ps. LXXVII. tom. IV. p.* 933. iisque simul auctor & suasor est, vt velut *magni medici* agant cum hominibus, eorumque saluti per fidele ministerium opitulentur. *Medentis* igitur non *sævientis* officio fungi debent, *c.* 2. *D.* 86. salutem omnium summa caritate conquirentes, nisi forsan austeriorem medicinam gravitas morbi desideret. *c.* 1. *D.* 86. *Quomodo enim B. Ioannes in apocalypsi sua ad septem scribens ecclesias, in vnaquaque earum speciatim*

tim vel vitia reprehendit, vel virtutes probat; ita & Sanctus Apostolus Paulus per singulas ecclesias vulneribus medetur, nec ad instar imperiti medici vno collyrio omnium oculos vult curare, VT HIERONYMVS ait *in c. f. D. 29.* simulque hoc ipso *prudentis medici* officium instruit. Quemadmodum vero prudentes *corporis medicos* hos, qui curæ eorum se suamque salutem committunt, diligenter visitare, & sanitatis rationem exquirere, cum iisque salutaria consilia, quibus & imminentes morbos præcaueant, & sanitatem debilitatam & labefactatam restituant, communicare oportet: ita *animæ* quoque *medici*, quos fidei suæ commissos sciunt, accurate visitare, in eorum vitam moresque inquirere, iisque salutaria sanitatis præcepta dare tenentur; vt, si quos vitiis laborare cernunt, corrigant, & ad frugem atque virtutum studia reducant; quorum vero sanitatem dubiam infirmamque deprehendunt, hos confirmare studeant, BASILII & GREGORII Episcoporum exemplo, quos ideo laudat SOCRATES *libr. IV. hist. eccles. c. 19.* quod ipsi *vrbes circumeundo segnes & languentes in fide corroborauerint.* Cum autem non omnes clerici animarum curam gerant, plerisque dignitate & clericorum priuilegiis contentis, ad ecclesiastica autem munia nunquam adspirantibus, vt hos *animæ medicos* nuncupemus, ratio non patitur. Huc refer, qui vel *primam* tantum *tonsuram* vel *minores ordines* acceperunt, qui non muneris cuiusdam ecclesiastici gerendi, sed numeri ciuium ecclesiasticorum augendi ergo, promouentur. Si qui itaque hanc appellationem merentur, parochi atque sacerdotes, qui ægrotantibus a confessionibus sunt, huc referendi, siquidem primario INNOCENTIVS III. eosdem *medicorum animæ* nomine insigniuit. *c. 13. X. de pœnitent.* Quoniam enim hi ab ægrotis, animæ morbos confitentibus, quotidie adeuntur, vt sanationis ergo *pœnitentiam* & *satisfactionem* imponant: illi omnino in eo versari videntur, in quo, vt paulo post plenius eruendum, *ecclesiastica medicina* primario a pontifice collocatur.

Non omnes clerici animæ medici sunt.

§. VII.

Vtrum medici animæ simul corporis medici esse possint?

Prius vero quam ad citati textus, qui vtriusque *corporis & animæ* medicorum coniunctionem in ægrorum curatione præcipit, vlteriorem in hac dissertatione mihi propositam illustrationem perueniam, nihil me præter rem aut ab instituto alienum facturum arbitror, si præliminarem mouerim quæstionem: corporine etiam possint sacerdotes medicinam adferre, seu, *vtrum status medici animi & corporis in vno subiecto simul subsistere possit?* Quod vno halitu affirmari poterit & negari, pro diuersa scilicet remediorum, quibus corporis sanitati subvenire posse censent, ratione. Namque ex eorum, qui *spiritualibus remediis* sanari homines autumant, principiis *animæ medicum* simul *corporis medicum* esse non repugnat. Pro *spirituali medicina*, quam clerici iuxta ritum *ecclesiæ Romanæ* adhibere possunt, formularii illi, quibus ad depellendos morbos dæmonesque eiiciendos vtuntur, *exorcismi* habentur. Quorum superstitio vti Iudæos olim maximopere incesserat, ceu ex IOSEPHI *antiquitat. Iudaic. Lib. VIII. c.* 2. patet, & ANTONIVS VAN DALE in *diss. de diuinationibus cap. V.* plenius illustrat: ita inter Christianos propagata, & ad superstitiosos medendi modos applicata est. Nec defuit illis conciliorum iurisque canonici approbatio, ex qua non potuit non illis maior quotidie auctoritas accedere, adeo plane, vt peculiaris *exorcistarum* ordo in ecclesia fuerit introductus. Inde igitur euenit, vt reuera in artem abire cœperint exorcismi, pluribus solennibus, apparatu sæpe magno, carminibus, verbisque conceptis, & vestibus consecratis requisitis, adeo, vt nihil aut parum ab *incantationibus magicis* recedere videantur. Quod vero, ad illorum vim & virtutes attinet, illas in facultate dæmones ab energumenis, seu his, quorum corpora a malo spiritu oppressa possidentur, eiiciendi & expellendi collocant. *Exorcistæ enim inuocant super eos, qui habent spiritum immundum, nomen domini Jesu, adiurantes per eum, vt egrediatur ab illis*

Affirmatur, quatenus spiritualibus remediis corpus sanare student.

Huc referunt (1 exorcismos.

quibus dæmones ab energumenis pellere student.

illis iuxta *c.* 1. *D.* 21. Hunc in finem in quoscumque, quibus mortalium corpora vexari creduntur, ſpiritus dæmonesque malignos imperium exorciſtæ accipiunt, vt per diras exorcismorum imprecationes illos a dæmoniacis eiicere valeant. *Exorciſta* igitur, *cum ordinatur, accipit de manu epiſcopi libellum, in quo ſcripti ſunt Exorciſmi, dicente epiſcopo: accipe & commenda memoriæ, & habeto poteſtatem imponendi manus ſupra energumenos ſiue baptizatos ſiue categumenos;* vt cautum eſt *in concilio Carthag. IV. c. VI.* apud D' ACHERIVM *in Spicil. Eccl. tom. I. p.* 551. Sed plerumque pro *dæmoniacis*, qui nunquam tales fuerunt, habiti ſunt. Nam ſi quis graui olim & difficili morbo laborans magna commotione corporis actus, in quandam forte phreneſin, furorem, aut alias violentas & epilepticas contorſiones incidit: hunc ſtatim *energumenum* immundis ſpiritibus agitari ſibi perſuadentes medico animæ exorciſante opus eſſe putabant. Hic igitur eum, quem cum vulgo pro *dæmoniaco* habebat, miſſa & pœnitentia, adhibitis inſuper reliquiis, cruce, aqua benedicta, ſale, oleoque exorciſato præparare prius ſolebant, quam ad terribiles exorciſmos, quos ſiſtit *theſaurus terribilium exorciſmorum Coloniæ editus*, & reliquas acerrimas imprecationes perueniebant. Quem dæmones deiiciendi modum velut in compendio GISBERTVS VOETIVS delineat *in volum. III. diſſert. p.* 1156. Quatenus igitur clerici energumenos vi *exorciſmorum* a dæmonibus liberare ſtuduerunt, *medici* olim nuncupati ſunt. Illud enim elucet ex antiquiſſimis ordinationum formulis, in quibus exorciſtæ hac benedictione muniuntur: *vt poteſtatem & imperium habeant, ſpiritus immundi coërcendi, vt probabiles ſint* MEDICI ECCLESIAE, *gratia curationum virtuteque cœleſti confirmati*, vt antiquæ formulæ in ordinandis exorciſtis adhibitæ apud EDMVNDVM MARTENIVM *de antiq. eccleſ. ritib. lib. I. P. II. p.* 347. 359. 371. 486. &c. & recentiores in *pontificali Romano p* 26. docent.

Exorciſtæ medici vocantur.

§. VII.

2) exorcismos morbis medendis adhibent.

Expellendorum itaque dæmonum virtutem cum sibi exorcistæ vindicauerint: quid mirum, quod(II) hanc exorcismorum medicinam contra quæcunque morborum genera efficacissimam crediderint. Antiquissimis iam Christianorum temporibus mystica quædam vis *S. euangeliis* in ægrorum curatione tributa est, adeo vt non multi solum, ipsique etiam sacerdotes, quandam *euangelii* partem de collo suspensam cuiusdam instar *medicinæ* ad cauendos depellendosque morbos circum gestarent, verum etiam ægrotorum lectulo euangelii librum apponerent. ANT. VAN DALE *de diuinationibus idololatricis c. VI. p.* 534. *& seq.* Quam superstitionem cum grauiter notat ac perstringit CHRYSOSTOMVS *in Hom. XLIII. in Matth. XXIII. tom. II. op. p.* 897. tum eandem eleganter ita describit AVGVSTINVS *in Iohan. Euang. tom. III. p. II. oper. p.* 346. *in f. Cum caput tibi dolet, laudamus, si euangelium ad caput tibi posueris, & non ad ligaturam cucurreris. Ad hoc enim perducta est infirmitas hominum & ita plangendi sunt homines, qui currunt ad ligaturas, vt gaudeamus, quando videmus, hominem in lectulo suo constitutum, iactari febribus & doloribus, nec alibi spem posuisse, nisi vt sibi euangelium ad caput poneret, non quia hoc ideo factum est, sed quia prælatum est euangelium ligaturis.* At hic superstitiosus ritus exoleuisse videtur, postquam exorcistæ *formulis ex ipsis euangeliis petitis* ægrotis medicamen afferre, morbosque pellere per *exorcismos* studuerunt. In quo fere Christiani sacerdotes æmulati sunt gentiles, qui *carminibus magicis* magnam itidem vim attribuebant, vt his morbos malaque quæuis depelli, vel eadem alteri infligi arbitrarentur. Ipse adhuc CONSTANTINVS M. fidem virtutemque insignem his carminibus adscripsit, ea demum prohibendo, quæ noxia sunt, non item quæ salutem adferre videntur, in *l.* 4. *C. de malef. & mathem. & l.* 3. *C. Theod. eod.* Ait: *eorum est scientia punienda, & seuerissimis merito legibus vindicanda, qui magicis accincti artibus, aut contra hominum mo-*

Olim S. euangelia in ægrorum curatione adhibebant.

Gentiles incantatione vtebantur.

Constantinus M. tantum noxias incantationes prohibuit.

moliti ſalutem, aut pudicos ad libidinem deſixiſſe animos detegentur. Nullis vero criminationibus implicanda remedia humanis quæſita corporibus aut in agreſtibus locis, ne maturis vindemiis metuerentur imbres, aut ruentis grandinis lapidatione quaterentur, innocenter adhibita ſuffragia, (carmina) *quibus non cuiusque ſalus aut exiſtimatio læderetur, ſed quorum proficerent actus, ne diuina munera & labores hominum ſternerentur.* Poſterioris generis carmina plures eo tempore adprobabant, quod prodeſſent non obeſſent, & quia nouerat imperator, ſe inter gentiles adhuc leges ſcribere; horum moribus aliquid dandum eſſe opinatus eſt, cum Chriſtianos ab omnibus incantamentis alieniſſimos ſciret. Idem APVLEIVS GENTILIS *apol. I.* cenſuit dixitque: *Veteres medici etiam carmina remedia vulnerum norant, vt omnis vetuſtatis certiſſimus auctor Homerus docet, qui facit Vlyſſi de vulnere profluentem ſanguinem ſiſti cantamine: nihil enim, quod ferendæ ſalutis gratia fit, criminoſum eſt.* Pluribus aliis teſtimoniis hoc argumentum exornat IAC. GOTHOFREDVS *ad cit. l.* 3. Quamuis his carminibus ad *medendum* vterentur incantatores; hos tamen VLPIANVS in *l.* 1. §. 3. *D. de extraord. cognit.* inter *medicos* non referendos eſſe iudicat: *non tamen,* ait, *medicis adnumerandus, ſi incantauit, ſi imprecatus eſt, ſi (vt vulgari verbo IMPOSTORVM vtar) EXORCIZAVIT; non ſunt iſta medicinæ genera: tametſi ſint, qui hoc ſibi profuiſſe cum prædicatione affirment.* Ita Vlpianus. Idem plane CHRYSOSTOMI eſt iudicium in *hom. IX. ad Coloſſ. tom. IV. op. p.* 1187. *Dic mihi ſi quis acceſſerit medicus, & medicinæ dimiſſis medicamentis incantet, eumne dicemus medicum? Nequaquam.* PLINIVS SECVNDVS quidem *lib. XXVIII. hiſt. natur. c. II.* de hoc genere medicinæ anceps ediſſerit, quod animaduerterit, incantamentis ex gentilium Theologia magnam vim vulgo tribui. Ait: *Ex homine remediorum primum maximae quæſtionis & ſemper incertæ eſt, valeantne aliquid verba & incantamenta carminum. Quodſi verum eſt, homini acceptum fieri oportere conueniet. Sed viritim ſapientiſſimi cuiusque reſpuit fides. In*

Vtrum incantatores & exorciſtæ medici ſint dicendi dubitat VLPIANVS.

vniuersum vero omnibus horis credit vita, nec sentit. Vsum quippe contrarium in gentilium sacris ipse obseruabat, licet sapientissimi quique virtuti horum incantamentorum fidem negarent, vt SOPHOCLES *in Aiace: haud medicus sapit, ad vulnus carmen qui adhibet, vbi ferro opus est.* *Impostores* hos vocat VLPIANVS, quorum vulgare verbum erat *exorcisare* seu *adiurare*, quod *carmine solenni* fiebat. Tali adiuratione vtebantur Iudæi quidam *exorcistæ* circumforanei, περιερχόμενοι, de quibus *Act. XIX*, 13. qui dæmones eiicere tentabant eos adiurando per nomen CHRISTI. Obseruauerant enim, PAVLVM aliosque hoc dono miraculoso instructos energumenis manus imposuisse, atque dæmones eiecisse, non vlla *arte magica*, sed *precibus*, & *simplici* quadam *adiuratione*, IESV nomine nuncupato. Vtrum hos, siue *Iudæos*, siue *Christianos* intellexerit sub appellatione impostorum, vt ALCIATVS *lib. VIII. parerg.* censet, dubium est. *Iudæi* exorcistæ noti erant. Inter *Christianos* quoque statim tempore nascentis ecclesiæ, imo etiam tempore VLPIANI, sub CARACALLA & ALEXANDRO SEVERO florentis, non deerant, qui *dono* hoc *miraculoso* eiiciendi dæmones ab energumenis gaudebant, licet *exorcistis* peculiare *officium ecclesiasticum* haud assignatum fuerit. Sed etiam inter gentiles *incantamentis* in grauissimis morborum adflictionibus magna vis tribuebatur. Christianos dono hoc instructos designasse VLPIANVM, negat GVILIELMVS FORNERIVS *Lib. III. select. c.* 28. relatus *tom. II. thes. iur. Rom. p.* 118., quod nulli exorcistæ eo tempore fuerint. Enimuero nomine tales non aderant, quos demum sec. III. in ecclesiis constitutos scimus: aderant tamen hinc inde, quibus extra ordinem hæc virtus eiiciendi daemones & energumenos sanandi, inuocato nomine Christi, data erat, quamuis nomen speciale exorcistarum haud gererent. Vnde liquet, VLPIANVM quoscunque appellatione *impostorum* designasse, tum Christianos, tum Iudæos, tum etiam gentiles, qui incantamentis carminum ad morbos depellendos vtebantur. Hi enim incanta-

bant;

bant; hi imprecabantur; illis familiare verbum *exorcisare* erat, ideoque quoscunque notauit. (g) Interim nihilominus illa per *exorcismos* medendi ratio adeo olim mirabilis & virtutis plenissima credita fuit: vt exorcistæ vi imperii ipsis concessi non morbos solum pestemque abigere & profligare tentarent, verum exorcismos etiam ad tollendam, quam vulgus per *incantationes* procuratam esse credit, *impotentiam coniugalem* adhibendos esse censerent. Verum iam HERICVRTIVS *des Loix ecclesiastiques dans leur ordre naturelle P. III. c. 5. art. 11, §. LXVI. p. 452. caute & prouide* in hoc casu adhibendos esse censet exorcismos, ex eo, quod ex naturalibus plerumque causis infirmitas coniugalis proficiscatur; meo vero iudicio in hoc & ceteris casibus plane ex ecclesia exulare deberent, cum magna & mirabilis illa, quæ apostolis *iure extraordinario* data erat, sanandi daemonesue expellendi potestas, muneri sacerdotali non sit adiecta, nec *dona extraordinaria* certos successores acceperint. Interim ex his, quæ hactenus disputata sunt, illud, quod ad rem meam facit, satis superque elucere sufficiat, etiam corporis sanitati *remediis ecclesiasticis* ex ecclesiæ Romanæ sententia sacerdotes succurrere posse.

Exorcismos adhibebant contra impotentiam coniugalem.

§. IX.

(g) Quod ergo verbum *exorcisare* impostorum esse, ait VLPIANVS, haud dubium est, primario sugillare voluisse *Christianos*, quorum ipse infensissimus hostis erat. Gentiles enim hoc conuicio nominasse christianos, BARONIVS *in annal. eccles. ad a. 56. n. 11. tom I. p. 588.* ex HIERONYMI *ep. X. ad fur.* probat, vbi hic, *vbicunque viderint Christianum*, inquit, *vsurpant statim illud de triuio.* Ὦ γραικὸς ἐπιδέτης, *scilicet, o Græcum impostorem.* Non tamen excludit etiam *Judæos & gentiles*, quorum *imposturam & incantamenta* etiam ab arte medica remouet. Conf. *tom. V. iur. eccles. p. 415. sqq. vener. parentis*, vbi hoc fusius declaratum est.

§. IX.

(3) per vnctionem extremam

Denique (III.) *animæ medici* simul corporis sanandi curam suscipere dicuntur, quatenus grauiter ægrotantes inungunt. *Extrema* enim *vnctio* simul *animæ* & *corporis medicina* esse creditur, vt sacerdotes rursus officio medici in hoc actu fungantur. Vnde *Cabilonense concilium* anno 813. habitum (h) post præceptam *cap.XLVIII.* infirmorum vnctionem subiicit: *Non est igitur parui pendenda huiusmodi medicina, quæ ANIMAE CORPORISQVE medetur languoribus.* Hoc etiam antiquæ vlterius docent, quibus sacerdotes in inungendis infirmis vtuntur, orationes atque formulæ. Etenim sacerdos vnctionem peragens apud LAVNOIVM *de infirmorum vnctione tom. I. oper. p.* 467. ita precatur: *succurre, Domine, infirmo, & medicare ei spirituali medicamine, vt in pristinam sanitatem restauratus gratiarum tibi referat actiones.* Porro ipse ægrotans hac inungi solet formula, quam IDEM *c. l. p.* 469. tradit: *Inungo te oleo sancto & sacrato, vt virtute Spiritus S. tribuat tibi hæc sacra vnctio SANITATEM ANIMAE ET CORPORIS.* Neque minus illud hæc illustrat formula: *vt fugatis omnibus doloribus vel incommoditatibus corporis hic recuperetur in te virtus & salus, quatenus per huius operationem mysterii & per hanc sacrati olei vnctionem & nostram deprecationem virtute S. Trinitatis medicatus siue fotus pristinam & melioratam recipere merearis sanitatem.* Plures similes formulas collegit EDMVNDVS MARTENIVS *de ant. eccl. ritib. L. I. P. II. p.* 128. 132. 135. *sq.* Forsitan non absque ratione in vltima laudata clausula vnctionis virtus quodammodo restricta est, quatenus scilicet infirmus sanitatem recipere *mereatur.* Neque enim ita deerit vnquam excusatio, quum, si forte medicina effectis destituatur, prætendere, & ægrotum non meruisse sanitatis restitutionem, affirmare possint. Huic igitur ecclesiasticæ per oleum susceptæ *medicinæ* tanta tamque insignia effecta

(h) ab HARDVINO *tom. IV. act. concil. p.* 1040. relatum.

effecta vindicant; quanta mirabili illi, a Christo & apostolis per oleum peractæ curationi, in sacris litteris asseruntur, cum tamen huius longe alia & specialis plane ratio fuerat. Apostoli enim in illa sanatione non *naturali* quadam *medicina* vsi, sed altiori & augustiori curandi dono ab ipso medicorum principe instructi fuerunt, testibus MATTHAEO *c. X*, 1. LVCA *I*, 1. 2. illud ipsum luculenter adstruentibus. Quam virtutem miraculosam quomodo exercuerint Apostoli, neruose ostendit MARCVS *cap. VI*, 7. *qui oleo*, inquit, *vngebant multos ægros, & sanabant*, ex quo *vnctionem* ægrotantium cum *mira* eorundem *curatione* coniunctam fuisse liquet. Solius *olei* tanta vis esse non poterat, vt eius solius *inunctione* ægrotans illico conualuerit, quamvis in eam sententiam abeat, & Apostolorum vnctionem *naturalem curationem* fuisse, censeat vir eruditissimus IO. LIGTHFOOTIVS *vol. II. oper. p.* 444. Illud quidem verum est, veteres *oleum* instar *medicinæ* ægrotis adhibuisse, inprimisque eodem ad augendos infirmorum debiliumque vires esse vsos, quem morem Iudæis inprimis familiarem fuisse, IDEM in sententiæ suæ illustrationem ex talmudibus luculenter demonstrat. Veteres etiam Romani sanitatis caussa *oleo* vtebantur sæpissime, in peculiari balnei cella, *vnctorium* dicta, sese vngere consueti, ceu ex antiquitatibus deducit IO. BAPTISTA CASALIVS de *profanis & sacris veteribus ritibus cap. XXIV. p.* 129. *sq.* At enim vero illud tamen negari nequit, oleum in quibusdam tantum morbis, non in quibuscunque grauissimis, medicaminis loco fuisse; neque minus illud verum est, vti per cetera medicamenta lento gradu æger reconualescit, ita & olim per *olei* vsum naturalem, ægrotos sensim ac pedetentim recuperasse sanitatem. Longe autem alia est *olei* ab apostolis in mira sanatione adhibiti ratio, quæ vel in eo mirabilis exstitit, quod simulac hanc exercerent, æger illico pristinæ fuerit sanitati restitutus, Quodsi huius mirifici doni a Christo datam apostolis potestatem, cuius summum caput nobit seruauit *Matth. XVI*, & *Marcus XII*, 15,

Oleum Apostoli adhibuerunt in curatione miraculosa.

Vtrum oleum fuerit medicina?

quod negatur

curatius

& penitius inſpicimus: indefinitam omnis languoris omnisque infirmitatis ſanandæ illis datam reperimus facultatem. Apoſtolorum itaque ſanandi poteſtate ad quæuis morborum genera ſeſe extendente, illos in mira curatione oleum tanquam *medicamen naturale* non adhibuiſſe, manifeſtum eſt. Quodſi enim contrarium verum eſſet, illis tantum, quibus oleum naturali ratione proderat, ægrotis apoſtoli mederi potuiſſent, cuius contrarium tamen non ſacræ ſolum litteræ docent, verum etiam *olei* vſus in omni ægrorum curatione neceſſarius fuiſſet, numquam prorſus negligendus aut prætermittendus. Præterea illa ſanandi facultas *oleo* non adfixa fuit, ſed hoc, prout commodum & conſultum videbatur, vſi ſunt apoſtoli. Hos enim perſæpe absque *oleo* ægrotos ſanaſſe, ex geſtis illorum manifeſtum eſt, idque illuſtri PETRI, claudum ad fani portam curantis exemplo docent *ACTA. III*, 16. Denique quid opus fuiſſet, vt Chriſtus eos hac ſanandi poteſtate præ reliquis exornaſſet, ſi omnis hæc ſanatio naturali *olei* vi fuiſſet abſoluta? Quæ enim omnium communia ſunt, ſicuti peculiari conceſſione non indigent: ita cum Iudæis in more ſolenni fuerit poſitum, ægros *olei* medicina ſanare, fruſtra illis *ſingulariter* hanc facultatem Chriſtus conceſſiſſet. Tantum igitur abeſt, vt illi oleo tanquam medicamine, cuius *vi naturali* ægroti ſanarentur, vſi fuerint: vt potius longe certius ſit, illud ab apoſtolis inſtar *ſymboli miraculoſæ* illius, quam poſſidebant, *virtutis* adhibitum fuiſſe. (i) Quemadmodum enim ipſi Deo ac Chriſto *miracula* per *ſymbola* edere ſolenne fuit; & Deus ideo rupem prius a Moſi percuti iuſſit, quam ex rupe aquam mira ratione produceret, nec non Chriſtus ſurdum mutumque curaturus, manu auribus admota, oculos eius in mirabilis ſanationis ſignificationem ſputo illiniuit: ita & Apoſtoli hunc morem ſecuti, quos

In ſymbolum miraculoſæ virtutis oleum ab illis adhibitum fuit.

(i) Quod pluribus argumentis demonſtrat IO. ANDR. SCHMIDIVS *in Decade Diſſertationum diſſ. III.* laudatus in *Actis Erud. menſis Iulii a MDCCXIV. p.* 337.

quos miraculose sanabant, *oleo* primum inunxerunt, vt hoc velvti *symbolo* singularem illam sibi concessam virtutem manifestarent. Sed quæres fortasse, qua ratione Apostoli inducti *olei* potissimum vnctione ægrotos mirabiliter sanandi facultatem significauerint? Respondeo: Cum multa, quæ Iudæis in more fuerunt, seruare & ad Christianorum instituta transferre solebant: ita in *oleo* ægrotorum curationi adhibendo secuti Iudæorum mores videntur. His enim nihil solennius fuit, quam non infirmos solum *curationis gratia* inungere, sed etiam precibus pro ægroto fusis in vim *solaminis* vnctionem per oleum adnectere, cum oleum ex illius gentis vsu *gaudii & spei*, vt DAVIDI *Ps. XLV.* vocatur, symbolum vocaretur. Vnctione profecto eandem fere, quam manuum impositioni vim attribuerunt Iudæi, *qui*, vt HVGO GROTIVS in *comment. ad* MARC. *VI*, 12. inquit, *vt manuum impositionem precibus pro aliquo susceptis adiungere solebant, ita & vnctionem per oleum circa ægrotos, pro quibus preces suscipiebantur, in spem impetrandi a Deo leniminis & gaudii, quæ per oleum significatur.* Quod igitur *symbolum lætitiæ* fuerat, hoc in signum mirabilis illius sanandi virtutis adhibere plerumque Apostoli solebant; *plerumque* inquam, cum vti supra iam monitum, exempla non desint, ex quibus illos quoque absque *oleo* ægrotos mirabiliter sanasse, clarissime eluceat. *Act. XIX*, 12. Conf. IO. DALLAEVS *de extrema vnctione cap. V.*

§. X.

Vtrum oleum a Iacobo tanquam medicina corporis & animi proponatur?

At enim vero mirificum illud, quod medicorum princeps cum apostolis communicauerat, sanandi mysterium, vti cetera, quibus præ reliquis præditi erant, dona singularia, in eorum haud transierunt successores. Putauerisne igitur, quos ægrotis accersendos esse IACOBVS suadet presbyteros, mira illa virtute fuisse instructos. IACOBVS enim *cap. V*, 15. *infirmatur quis*, inquit, *in vobis? Inducat presbyteros ecclesiæ, & orent super eum, vngentes eum oleo in nomine domini, & oratio fidei saluabit infirmum, & adleuabit eum Do-*

minus, & si in peccatis sit, remittentur ei. En nouam singularis cuiusdam, quam sacerdotes exercent, medicinæ speciem? Vtrum vero eadem, quam MARCVS apostolis vindicat, mira sanandi vis *presbyteris* asserta sit a IACOBO, an huic vero de alia sermo sit spirituali medicina? difficultatelaborare videtur. Priorem sententiam magna contentione propugnat DALLAEVS *de vnctione extr. cap. VI*, eandem plane ab vtroque MARCO & IACOBO delineari censens miram sanandi facultatem. Verum enim vero, quod pace viri doctrina præstantissimi dixerim, illud, in quo omnis eius sententiæ cardo vertitur, in tuto satis loco positum esse non videtur. Cum enim *presbyterorum*, seu seniorum, qui ecclesiæ plerumque præerant, in *cit. l.* mentionem iniiciat IACOBVS, eosque ægrotis aduocandos esse commendet; presbyteros quoscunque mirabili sanandi dono præditos fuisse, ante omnia probandum fuisset. Quam enim pro stabilienda sententia ex Pauli ad *Corinth. I. c. XII.* trahit coniecturam, rem omnem haud conficere, quemlibet, qui *locum cit.* curatius perlustrauerit, facile existimaturum credo. De quo enim ibi sermo est *ἰαμάτων χαρίσματε*, seu *curationum dono*; illud cum *presbyteris* communicatum asserit quidem, non autem probat, cum tamen illud de singulari illa *Apostolorum* & *Apostolicorum* quorundam *virorum*, hoc dono instructorum, virtute pro re nata interpretandum esse, ex eiusdem capitis *commate* 28. perspicue appareat. Insignem istam quidem *presbyteris quibuscunque* concessam fuisse facultatem, vllo sane idoneo ex sacris litteris defendi nequit argumento; cum tria illustria, quæ apud MARCVM VI. apud MATTH. X. apud LVCAM IX. exhibentur concessæ huius mirabilis sanandi virtutis documenta, de *apostolis* plane & aperte loquantur. Auctor scilicet & suasor ægrotis est IACOBVS, vt *seniores ecclesiæ* advocent, qui & *oleo* eos inungant, & pro iisdem supplicent. Cum *oleo* itaque *supplicationem*, seu cum *corporis medicamine spiritualem medicinam* in ægrotis sanandis coniungendam esse, commendat. Quodsi animaduertamus, cui inter hæc inprimis *curationis*

tionis virtutem tribuat: hanc vim reperiemus *supplicationi fidei* vindicari. *Oratio fidei*, inquit, *saluabit infirmum, & adleuabit eum dominus.* (k) Non igitur *inunctione*, sed *oratione* tam presbyterorum quam ipsius ægrotantis ex fide in saluatorem profecta, corporis sanitatem ægrotum impetraturum esse, IACOBVS pollicetur. Conf. H. GROTIVS *in comment. ad cit. Iacobi locum.* Hoc nomine iam antea in *commate præcedente XIII.* adflictis commendauerat *supplicationem*, & in *commate subsequente*, *supplicate*, inquit, *alius pro alio, vt sanemini. Multum valet, efficitque VIRI BONI PRECATIO.* Quod autem precibus ad Deum fusis inunctionem coniungendam esse suadeat IACOBVS, *mores Iudæorum*, quibus admodum adhuc dediti erant fideles, vtpote a Iudæis originem ducentes, secutus videtur, qui, vt supra dictum, reficiendi ægroti caussa *oleo* eum inungebant. Insignem huic loco ex ritibus Iudaicis lucem adfundit vir antiquitatum Iudaicarum doctrina ornatissimus IO. LIGTHFOOTIVS *Vol.II. op.p.* 113. qui Hebræorum morem, tum inungendi ægrotos, tum vna incantationes adhibendi, ex clarissimis Talmudum testimoniis illustrat. Rem inprimis exornare videtur locus ex *Talmude Hierosol. in Schabb. fol. XIV. col.* 3. *qui incantat, oleum capiti imponit, & incantat*, & in *seqq.* aliquis ægroto *incantamenta* adhibuisse memoratur. *Cum igitur*, inquit, LIGTHFOOTIVS, *hæc inunctio ægrotorum vna cum incantamentis mos fuerit vulgaris & exsecrandus: hic Apostolus melius eos docet, accersendos scilicet presbyteros seu ministros ecclesiæ ad ægrotos, vt inungerent, & vna pias & vehementes preces pro iis funderent, quod non solum ma-*

(k) Eandem sanationis vim etiam *orationi* fidei tribuit ELIGIVS *Noviomensis episcopus* apud CAR. COINTIVM *tom. III annal eccles. Francorum p.* 488. Ait enim: *Qui ægrotat -- oleum benedictum fideliter ab ecclesia petat, vnde corpus suum in nomine Christi vngat, & secundum Apostolum oratio fidei saluabit infirmum, & alleuiabit eum dominus, vt non solum corporis sed & animæ sanitatem recipiat.*

gis vsui & solamini foret, verum euangelio magis consentaneum, quam incantamenta omnia, quæ vsurpata sunt. Quæ omnia cum satis superque demonstrent, *orationem fidei* vt *spiritualem* corporis *medicinam* proponi; hanc curationem etiam hodie ægris adhibere sacerdotes oportet, vt ipsi & ægrotantes precibus infucata fide ardentibus, supplices a medico optimo maximo sanitatis integritatem efflagitent. Neque hæc tantum de eorum, qui in *extremis* sunt, aut quorum mors magis quam vita speratur, *curatione* intelligenda sunt: cum de infirmis *generaliter* loquatur IACOBVS, *si quis ægrotat*, inquiens, ideoque quoslibet & grauiter leuiterue laborantes denotare voluerit, ceu pluribus solide ostendit IO. DALLAEVS *de vnctione extr. p.* 85. & SELDENVS *de Synedriis l. II. c.* 7. *p.* 756.

§. XI.

Consideratis igitur. quibus clericis ad corporis sanitatem recuperandam vti licet, *spiritualibus remediis*; expensis, quibus morbos depellere satagunt exorcismis; & sub examen reuocata, quam animi corporisque curandi ergo sacerdotes adhibere solent, *vnctione extrema*, breuissimis adhuc spurium aliquod, quod ipsi iuri canonico reprobatur, *remedium spirituale* sanitatis recuperandæ caussæ olim adhibitum, adducere liceat. Fuerunt, qui *baptismo* singularem in valetudine obtinenda vim attribuentes, eundem ægrotis medicaminis instar adhibendum suaserunt. De ea re conqueritur ALEXANDER III. *c.* 2. *X. de Apostatis. Ex litterarum tuarum tenore perpendimus, quod quidam ægritudine longa confectus insano sortilegarum mulierum credens consilio, vt sanaretur, per iterationem fecit iniuriam baptismatis sacramento:* & infra pergit: *Adstitit huic autem sacrilegio adolescens quidem bonæ, vt videtur, indolis, acoluthus, frater carnalis illius, in quo baptismus asseritur iteratus, qui ministerium in respondendo exhibuit presbytero baptizanti, & cooperator exstitit rei nefandæ.* Ex quibus patet, hanc baptismi medicinam ægroto a *sacerdote* quodam esse admotam

Baptismum ad alterum sanandum adhibere, sacerdotes prohibentur.

motam. Quæ prauitas atque temeritas non potuit non Pontifici maxime improbari, cum baptismus longe alium finem, quam corporis medelam habeat, atque iste abusus instar *sacrilegii* sit, & scripturæ S. ac canonum præterea principiis repugnet, baptismum reiterari. *Rebaptizare hereticum hominem, qui hæc sanctitatis signa perceperit, quæ Christiana tradit disciplina, omnino peccatum est: rebaptizare autem catholicum, immanissimum scelus est* AVGVSTINO *in c.* 108. *de consecrat. D. IV.*

§. XII.

Vtrum clericis medicinæ studium sit prohibitum?

Absoluta est quæstionis in *§. VII.* propositæ *decisio affirmatiua*, quatenus scilicet *animæ medicis* per *remedia spiritualia* ægris mederi licitum est. Nego autem, iisdem per *naturalia* ægros sanare medicamina, fas esse. Si a primis quidem Christianorum temporibus res repetenda est; sacerdotum *sanandi artem* simul exercentium haud desunt exempla. Ipse euangelista LVCAS PAVLO medicus dicitur *ad Coloss. IV*, 13. quod & EVSEBIVS *histor. eccl. lib. III. c.* 2. testatur. AMBROSIVM aliosque in Sanctorum numerum relatos viros ob plura sanationum testimonia laudari, docet IO. TIRAQVELLVS *de nobilil. tom. I p.* 128. *seqq.* Quid? quod ipsos etiam pontifices, adhibitis quandoque medicamentis, alios curasse, Eusebii, Nicolai V, & Pauli II, pontificum exemplo IDEM *c. l. p.* 133. probat. Neque enim prioribus mille seculis medicinam clericis prohibitam constat: cum potius contrarium luculentis demonstret argumentis EM. GONZALEZ TELLEZ *ad decret. tom. I. p.* 484. *n.* 9. Quod vero CLEMENTIS III. temporibus h. e. *a.* 1189. medicinæ studium clericis nondum interdictum putet GONZALEZIVS; illud contradicere videtur illius temporis monumentis. Etenim cum iam *anno* 1131. *patres concilii Rhemensis* de nimia canonicorum & monachorum licentia essent conquesti, quod neglectis ordinis sui regulis *medicinam*, spe futuri lucri, callerent: illis ab INNOCENTIO II. medicinæ discendæ facultas in eiusdem *Concilii can. VI.* penitus ademta est, cuius sanctionis *ab* HARDVINO

Olim ante sec. XII. prohibitum non fuit.

Ab innocentio II. prohiberi cœpit

monachis & canonicis,

DVINO *in act. concil. tom. VI. p. II. p.* 1192. exhibitæ hic tenor est. *Praua autem consuetudo, prout audiuimus, & detestabilis inolevit, quoniam monachi & regulares canonici post acceptum habitum & professionem factam, spreta beatorum magistrorum Benedicti & Augustini regula, leges temporales & medicinam gratia lucri temporalis addiscunt - - - Ipsi quoque canonici & monachi neglecta animarum cura ordinis sui propositum nullatenus attendentes pro detestanda pecunia sanitatem pollicentes humanorum curatores se faciunt corporum. - - - Vt ergo monasticus ordo & canonicus Deo placens in sancto proposito inuiolabiliter conseruetur, ne hoc vlterius præsumatur, auctoritate Apostolica interdicimus. Episcopi autem & abbates tantæ enormitati consentientes propriis honoribus spolientur.* Eadem constitutio papalis in *concilio Lateranensi art. IX. a.* 1139. ab eodem pontifice INNOCENTIO II. repetita legitur apud HARDVINVM *cit. l. p.* 1289. At sicuti fraus legibus quæri solet; ita & *religiosi* ad euertendam laudatarum constitutionum vim prætexentes, se ideo in medicinam incumbere, vt languentium fratrum sanitati consulerent, facultatem ex claustris medicinæ callendæ ergo egrediendi, plurimi impetrarunt. Itaque huic nouo morbo nouum antidotum præparandum erat. Actum ea de re fuit in *concilio Turonensi a.* 1180. ex quo, quæ sequuntur, ALEXANDER III. *in c.* 3. *X. ne clerici vel monachi* refert: *Inde nimirum est, quod in angelum lucis se more solito transfigurans, sub obtentu languentium fratrum consulendi corporibus, & ecclesiastica negotia fidelius pertractandi, regulares quosdam ad legendas leges* (h. e. audiendas vid. c. X. h. t.) *& confectiones physicas ponderandas de claustris educit. Vnde ne occasione scientiæ spirituales viri mundanis rursus actionibus inuoluantur: statuimus, vt nulli omnino post uotum religionis & post factam in aliquo loco religioso professionem ad physicam legesue mundanas legendas permittantur exire. Si vero exierint & ad claustrum suum intra duorum mensium spatium non redierint, sicut excommunicati ab omnibus euitentur, & in nulla caussa, si patrocinium*

& ab Alexandro III.

cinium præstare voluerint, audiantur: reuersi autem in choro, capitulo, mensa, & ceteris vltimi fratrum existant, & (nisi forte ex misericordia sedis Apostol.) totius spem promotionis amittant. Atque vel ex hoc quoque canone, qui itidem CLEMENTIS III. temporibus antiquior est, iam tum clericis interdictam fuisse medicinam, luculenter apparet. Quod autem sub *physicæ* voce *medicinam* intellexerit pontifex, ex illius æui stilo, quem pluribus apertis testimoniis illustrat CAROLVS DV FRESNE in *glossario* voce *physica*, clarum & manifestum est. Medicina enim *physicæ* pars summa olim habebatur, teste MACROBIO *Saturnal. Lib. VII. c. XV.* Nec multis opus est argumentis, cum hanc caussam plenissime instruat *c. 7. X. de ætate & qualitate*, vbi is, qui in *arte physica* eruditus est, iuxta huius *artis* traditionem exhibuisse aliis *medicinam* dicitur. Verum enim vero, quæ hactenus prodierunt constitutiones, *religiosis* tantum interdixerant *medicinæ studio*, ceterorum clericorum nulla iniecta mentione, nisi quod INNOCENTIVS III. a. 1216., ne *subdiaconi*, *diaconi* vel *sacerdotes* vllam chirurgiæ, quæ *adustionem* vel *incisionem* inducit, artem exerceant, cauerit. *c. 9. X. ne clerici vel monachi.* Itaque hæc cura, hoc studium fuit HONORII III., vt laudatam supra ALEXANDRI III. *artis medicæ* prohibitionem in omnes omnino *presbyteros*, *diaconos*, omnesque *clericos*, personatum habentes, extenderit, addita excommunicationis ipso iure incurrendæ grauissima pœna in *c. 10. X. ne clerici vel monachi &c.* id quod BONIFACIVS VIII. confirmauit in *c. 1. in 6. cit. tit.* Quæ cum ita sint, quare & religiosi, & in sacris ordinibus, & in dignitate constituti Clerici a medicinæ castris tam seuera lege arceantur, ratio eruenda est. Cum religiosi, vitæ sanctiori ex regulis curatius agendæ mancipati, in canonibus strenue & ad vnguem vsque obseruandis, & in *vita ascetica* in monasterio perficienda omne studium, consilium, mentem denique omnem defigere teneantur: ab omnibus, quibus ab hac sollicitudine auocari possent, rebus sollicite illos abstinere oportet.

Sub physica intelligitur medicina.

Innocentius III. clericis in sacris ordinibus constitutis chirurgia, Honorius III. medicina interdixit.

Ratio prohibitæ medicinæ, 1) religiosis,

Ne igitur, ceu mens est ALEXANDRI III. *in cit. c.* 3. *X. cit tit. occasione scientiæ spirituales viri mundanis rursus actionibus inuolnantur:* ei rei hac prohibitione est prospectum. Quæ quidem cur ad sacerdotes aliosque ad sacros ordines & ad dignitatem promotos clericos extensa sit; eadem subfuisse videtur ratio, ne & hi *secularibus* sese *negotiis* immisceant. Neque hæc spernenda est, cum illa, qua pro aliorum *salute* euigilare atque excubare tenentur, cura atque sollicitudo tam late pateat, tam gravis & tam ampla sit, vt vnius hominis humeri huic oneri ferendo vix sufficere videantur, ideoque pluribus sese distringere negotiis haud possit, ceu pluribus hanc caussam argumentis exornat Dn. PARENS *tom. III. iur. eccles. prot. p.* 1069. Ne igitur ab ista cura pastorali occasione huius disciplinæ auocentur, illis seuera lege, terrente ipso excommunicationis fulmine, aditus ad medicinam penitus præclusus est. Huic aliam rationem subiungit HONORIVS III. *c.* 10. *X. cit. tit.* vt scilicet clerici, posthabita medicina, spretisque omnibus aliis artibus, in vnico theologico studio excolendo, perpoliendo, & ampliando figant cogitationes, vt fides catholica hoc velut inexpugnabili muro circumcincta aduersariis quibuscunque resistere valeat. Quare vero imprimis *chirurgia* abhorrere debeant clerici, ratio in promtu est, cum illa absque *sanguinis profusione* vix exerceatur, hanc vero cane peius atque angue clericos fugere, tam clarum sit, quam quod clarissimum. Si quis clericus igitur *artem chirurgicam* exercuerit; irregularis fit, imo in excommunicationem incidit. *c.* 10. *X. ne clerici vel monachi secul.* Elegans est, quem INNOCENTIVS III. in *c.* 19. *X. de homicid.* refert, casus, vbi monachus sacerdos *artis chirurgicæ* peritissimus gutturis tumorem, quo mulier laborabat, ferro aperuerat, eadem monita, ne vento se daret; illa vero, contemto mandato, vento sese exponens diem supremum obierat. Vtrum ergo ille *chirurgus & sacerdos* sacerdotali officio amplius fungi posset, querebatur? Respondit Pontifex, *de rigore* quidem sacerdotalis ordinis exercitio ipsi

3) ceteris clericis,

ratio prohibitæ chirurgiæ,

explicatur c. 19. X. de homic.

ipsi esse interdicendum. Namque non in excommunicationem solum *ipso facto* incurrerat, sed quoniam rem illicitam tractauerat, ei *homicidium* mulieris *casuale* ea ratione fraudi fuit, vt tanquam *irregularis* vix suum amplius officium exequi posse videretur. *c. VIII. & XIII. X. de homicidio.* At enim vero cum excommunicatio, peracta pœnitentia & satisfactione, solui soleat; ac in huiusmodi *homicidio*, ad *casuale* magis inclinanti, facilis sit dispensatio, vt ex *cit. c.* 8. apparet: INNOCENTIVS III. neglecta canonum seueritate, misericordia ductus in sacerdotem, qui non *quæstus* sed *pietatis* caussa, adhibita diligentia accuratissima, sanare mulierem instituerat, *misericorditer agendum* h. e. dispensandum in hoc casu esse putauit, vt ,peracta digna satisfactione, diuina rursus celebrare posset sacerdos. vid. ANT. DADINVS ALTESERRA *in comment. ad Innocent. III. decret. ad cit. c.* 19. *p.* 568. Quæ omnia etsi ita sint comparata: pontifex tamen non per *dispensationem* solum, sed, quod admodum singulare est, etiam per *priuilegium*, clericis quandoque huius artis, impune exercendæ, facultatem largiri solet; quod ius tamen eo tantum vsque concessum intelligi debet, quoad medicinam tractare absque *incisione* & adustione possunt. Momentosum est exemplum, quod habet ANDR. MENDO *de iure Academico L. II. qu. XXX. n.* 367. quo GREGORIVS XIII. societati Iesu sub eadem limitatione priuilegium dedit, vt religiosi, ex illa periti medicinæ, ex consensu & superiorum auctoritate, deficientibus aliis medicis, medendi artem in quoscunque exercere possint. (1) Quamuis vero medicinæ studio tam seueris legibus apud protestantes haud interdicantur ecclesiæ ministri; prohibitionis tamen ratione, qui animæ curam gerunt, alienis distringantur negotiis, apud eosdem militat,

Permittit pontifex quandoque studium vel per dispensationem vel priuilegium.

Vtrum inter protestantes ministri ecclesiæ artem sanandi exercere possint.

(1) Religiosis non absolute *artem medendi* interdictam docet FRANCISCVS BELLAZARIVS *in manual. regul. tr. VII. c.* 5. *tr* 4. *n.* 215. *sq.* nisi medicamen *periculosum* adhibuerint, vel ad *incisionem & adustionem* processerint.

tat, vt illius artis vſus atque exercitatio ab eorum officio procul merito debeat abeſſe. Quid? quod cum per leges prouinciales in plerisque proteſtantium territoriis ſanandi publice profiteri artem prohibeantur, qui auctoritate publica non ſunt approbati: ad illius profecto exercitium vix ac ne vix quidem ſe legitimare poterunt ſacerdotes.

§. XIII.

Diſcrimen inter medicos animæ & corporis.

Ceterum vti vtriusque *animæ corporisque medici* officium ampliſſimum eſt: ita inter vtrumque maximum diſcrimen intercedit, cum illi *animæ*, hi *corporis* ſaluti proſpiciant. Hanc differentiam ipſe INNOCENTIVS III. conſtituit in ſupra laudato *c.* 13. *X. de pœnit. & remiſſ.* Quoniam vero *corporis* & *animæ* incolumitas omni ratione quærenda eſt; & vtraque per *animæ corporisque medicos* promouetur: hos ad ſpiritualem naturalemque ſanitatem obtinendam coniungendos eſſe, pontifex ſanxit. Quandoquidem anima longe pretioſior eſt corpore: illius in primis curam præferendam eſſe idem cenſuit iſti, quæ pro naturali proſperitate reſtituenda ſuſcipitur, ſollicitudini, & animæ per *pœnitentiæ* ſacramentum iuxta diſciplinam eccleſiæ Romanæ prius conſulendum eſſe decreuit, quam corpori medicina præparetur; ne vbi quis valetudinis debilitatæ rationem habet, *ſpiritualis* abiiciat ſalutis cogitationem. Quæ vt ab ægrotis eo accuratiori diligentia obſeruentur; medicis corporum ſeuera lege INNOCENTIVS III *cit. l.* 13. præcepit, *vt cum eos ad infirmos vocari contigerit, ipſos ante omnia moneant & inducant, vt medicos aduocent animarum, vt poſtquam fuerit infirmo de ſpirituali ſalute prouiſum, ad corporalis MEDICINAE REMEDIVM SALVBRIVS procedatur.* (m) Ex quo vero hæc ſanctio poſt plurium annorum interualla adcuratius obſeruari neglecta eſt: illam variis in vſum

Medici ægrotos ad animæ medicos aduocandos inducere debent.

(m) Hæc conſtitutio deſumta eſt ex *cap. XXII concilii generalis Lateranenſis* IV. a. 1215. celebrati, quod habetur apud HARDVINVM *in act. concil. tom. VII. p.* 38.

vsum reuocatam esse conciliis, reperimus. Quod factum est a. 1429. *in concilio Dertusano ab* HARDVINO *tom. VIII. p.* 1084. relato, in quo hæc cauta: *Dilectionis debitus ordo peruertitur, si medicinæ corporis prius & diligentius quam sanandis animæ vulneribus, intendatur. Sane licet in sacro concilio generali fuerit districte præceptum: --- ipsum tamen tam salubre & vtile statutum aut obliuione aut contemtu frustrari cernitur debito obseruationis effectu. Propterea cupientes, quod pro animarum salute tam vtiliter dignoscitur statutum, debita executione potiri; vniuersis corporum medicis districte præcipimus & mandamus, vt ipsum studeant fideliter obseruare, ipsis nihilominus sub excommunicationis pœna, quam incurrere ipso facto mandamus, vt nullum infirmum vltra tertiam vicem visitare præsumant, de quo non sciant, quod in illa ægritudine salutare pœnitentiæ sacramentum susceperit.* (n) Quæ omnia tandem PIVS V. in *bulla anno* 1566. *promulgata* in BVLLARIO MAGNO ROMANO *tom. II. p.* 177. confirmauit & adauxit, in eiusque §. 3. ita decreuit: *Hac nostra in perpetuum valitura constitutione statuimus & decernimus, quod omnes medici, cum ad infirmos in lecto iacentes vocati fuerint, ipsos ante omnia moneant, vt idoneo confessori omnia peccata sua iuxta ritum S.R.E. confiteantur; neque tertio die vlterius eos visitent, nisi longius tempus infirmo confessor ob aliquam rationabilem caussam, super quo eius conscientiam oneramus, concesserit, & eius per fidem confessoris in scriptis factam constiterit, quod infirmi, vt præmittitur, peccata sua confessi fuerint.* Mirum vero adhuc cuidam videri posset

Quod illustratur ex aliorum conciliorum canonibus.

(n) idem a. 1551 in *concilio Narbonensi can* 52 & in *concilio Mediolanensi P. II. const. VI. a.* 1565. est repetitum, quorum posterius ab HARDVINO *tom. X. p.* 654., prius vero *tomo eodem p.* 459. exhibetur. Plures adhuc conciliorum, quæ rem præsentem exornant, atque Galliam inprimis concernunt, antiquiores recentioresque constitutiones collegit EMANVEL GONZALEZ ad *c.* 13. *de pœnit. & remiss p.* 569. & 10. PONTAS in *dictionar. casuum conscient. tom. II. p.* 568.

posset, quare *medicis* præsertim hæc fuerit obligatio imposita, vt de *spirituali* ægrotantis *salute* solliciti, eos ad confitendum inducant, cum ad *ipsos* potius *ægrotos* hæc cura pertineat. Animaduerterant nempe pontifices, (α) hanc ab ipsis plerumque ægris negligi & flocci haberi, ideoque sæpissime contingere, eosdem ingrauescente morbo ipsa debilitate a seria salutis cogitatione deflecti & abstrahi. Præterea (β) haud ignorarunt, quantum medicorum apud infirmos sit auctoritatis pondus, & quantopere eorum ambiant atque sollicitent auxilium. Cum enim illi sanitatis, qua pretiosius nihil mortalibus esse solet, sint moderatores, ideoque quoddam veluti *vitæ necisque imperium* obtineant, vti loqui amat IAN. LANGLAEVS *semestr. Lib. VIII. p.* 591. tantum valent apud ægrotos medici, vt illos ipsis Imperatoribus imperare asserat PLINIVS *hist. Nat. Lib. XXIV. c.* 1. Vnde ille apud TERENTIVM *Andr. act. III. sc. II. v.* 4.

Quare medicis hæc obligatio imposita sit?

Quod iussi, ei date bibere, & quantum imperaui,
Date

& paucis interiectis *v.* 10.

Non imperabat coram, quid opus facto esset puerperæ.

Idem illustrat COVS ille HIPPOCRATES, qui libro de *medico*, *cum in omnibus rebus*, inquit, *multum sit in iustitia præsidii: tum vero medico cum ægrotis non parum est commercii, cum se ipsos illi subditos faciunt.* Medicorum igitur auctoritatem satis commodam atque opportunam pontifices putauerunt, vt hi non leni solum sermone monitisque amicissimis ægrotos ad *confessionis remedium* capiendum inducant, sed &, si pertinaces sint, animumque obfirment, hos per tres dies visitatos deserant, neque ope, neque medicina eorum valetudini prius succurrant, quam si *animæ* medicos aduocatos fuisse perspectum cognitumque habeant. Interim eiusmodi cum ægris versandi rationem *coactionem moralem* complecti, quilibet mecum facile consentiet, consideraturus, idem esse, externam vim alteri inferre, & vitæ conseruandæ remedia, opem, atque medicum auxilium languidis

Per medicos moraliter ad confitendum coguntur.

dis hæc omnia anhelantibus ſubtrahere. Illuſtri exemplo hoc eſſe poterit illius, quod in *conſcientias ius canonicum* exercet, *imperii.* Dum enim ægrum, qui negligit ſpiritualem pœnitentiæ medicinam, a medicis derelinqui cauet: hoc ipſo per *remedium coactiuum* ægrotum ad ea, quæ ad ſalutem & religionem ſpectant, capienda impellunt; cum tamen *nihil tam voluntarium quam religio ſit, in qua ſi animus aduerſus eſt, iam ſublata, iam nulla eſt.* LACTANTIVS *Lib. V. c.* 14. (o) Quamuis vero conſtitutio, qua medici ægrotum, de confeſſione facienda ſæpius fruſtra monitum & obſtinatum, poſt tertium diem deſerere iubentur, admodum dura videatur: illius tamen ſanctionis verba tam clara ſunt et aperta, vt nihil amplius, quam hoc dicere, reliquum ſit, legem ita eſſe ſcriptam. Itaque recte quidem, me iudice, ſed contra *legem* & *canonem* illi iudicare videntur, qui ægros, confiteri nolentes, a medicis nunquam derelinqui poſſe defendunt: in qua opinione ſunt THOM. ACTIVS *de infirmitate cap. XLIII. n.* 33. et CASPAR A REIES in *elyſio iucund. quæſtionum campo quæſt. XIII. n.* 4. 5. & quos hic ſequitur doctores. Licet itaque medicum, qui curationem cuiusdam dereliquit, vt ob id mortuus ſit æger, culpæ reum eſſe velit IVSTINIANVS in *§.* 6. *inſtit. de lege aquilia:* nullius tamen culpæ argui amplius poſſunt medici, ex quo iubentibus pontificum conſtitutionibus ægrum, ſpiritualem medicinam contemnentem, deſerere tenentur. Sanior autem interpretatio ſuadere videtur, hæc de illo caſu, vbi absque *vitæ periculo* medici ægrorum curationem derelinquere poſſunt, omnino eſſe intelligenda. Nam cum omnis explicatio ex *legis ratione* tanquam eius *anima* ſit ſuſci-

Vtrum medici ægrotum, confiteri nolentem, derelinquere poſſint?

(o) Ne dicam talem modum conuertendi, & pœnitentiam agendi eſſe *hypocriticum*, ſeria *contritione* deſtitutum, quam voluntas ſpontanea & agnitione peccatorum languida, fide vero in ſalvatorem confirmata, vnice ſuſcipit, fovet, non vero *coactio indirecta* parit, ei e diametro aduerſa.

ſuſcipienda; huius vero pontificii edicti ratio in eo conſiſtat, vt per medicos ſimul *ſpirituali* ægrotantis *ſaluti* proſpiciatur: illud ita interpretandum eſt, vt ægroti ſalus magis promoueatur, quam in grauius diſcrimen vocetur. Hoc vtique contingeret, ſi derelictus a medico æger, in maximum vitæ periculum incurrens, absque *eccleſiaſtica medicina* decederet. Ne ergo ex huiusmodi periculoſe ægrotantis derelictione *animæ & corporis* ſanitas periclitetur: æger in graui periculo vitæ conſtitutus, quamuis ex quadam peruicacia confiteri nolit, vix a medico negligendus eſſe videtur. Imo hoc caſu potius partes medici eſſe videntur, ægroti animum non quauis ſolum ratione flectere, verum etiam *ex officio* animæ medicos accerſendos curare, quorum eſt, etiam vltro & non aduocatos ægris remedia ſalutis proponere. Ipſam, qua medici ad ægros vocati hos ad confitendum inducant rationem, eleganter explicuit CASP. A REIES *l. c. n.* 8. Cum itaque medicorum auctoritate ius canonicum ægros ad id, vt animæ medicos aduocent, adigere ſtudeat: quare non aliis niſi probatæ fidei ac religionis medicis ad ægrotos acceſſus pateat, iudicatu eſt facillimum. *Infidelibus* enim medicis ad chriſtianorum curationem vocatis & adhibitis, facile perſpexerunt pontifices, fore, vt ſalutare INNOCENTII præceptum negligatur, & veræ animarum ſalutis immemores infirmi fiant. Qua ratione (p) ductus pontifex GREGORIVS IV. *in bulla* anno 1581. promulgata

&

(p) Ex eadem ratione etiam *medici hæreſeos* ſuſpecti reprobantur in concilio *Toloſano anno* 1228. celebrato *cap. V.*, quod exhibet LVCAS D' ACHERY *in ſpecileg. tom. I. p.* 711. *Statuimus etiam, quod quicunque fuerint de hæreſis infamia vel ſuſpicione notati, officio medici de cetero non vtantur.* & paulo poſt *cap. eod.* cauetur, *ne hæreticus aut de hæreſi ſuſpectus ad infirmum infirmum poſſit habere acceſſum, cum ex acceſſu talium intellexerimus, nefanda & enormia pluries contigiſſe.*

& bullarii magni tomo II. p. 448. inſerta, (p*) non ſolum omnibus inhibuit & interdixit, ne *poſthac Iudæos vel alios infideles ad chriſtianorum ægrotantium & infirmorum curam vocent, ſeu admittant, aut vocari admittiue faciant, concedant, vel permittant;* ſed & illis qui contra fecerint, grauiſſimam infligendam curauit pœnam, ægrotis quidem ſacramentorum eccleſiaſticorum vſu, & ſic decedentibus eccleſiaſtica ſepultura denegata. Ipſos denique Iudæos infidelesque medicos, qui chriſtianorum curationem ſuſcipere auſerint, *extra ordinem* puniendos conſtituit.

§. XIV.

Quæ omnia cum clare doceant, hanc medicis legem eſſe ſcriptam, (q) vt *de coniungendis cum ægrorum curatione animæ medicis* ſint ſolliciti: arctiori tamen adhuc obligationis vinculo, pœna grauiori addita, conſtringendos medicos ius canonicum conſtituit. INNOCENTIVS III. enim *c.* 13. *X. de pœnitent. & remiſſ.* *Si*

Pœnam excommunicationis medici, Innocentii præceptum non obſeruantes, incurrunt.

(p*) Hac bulla GREGORIVS III. conſtitutionem *concilii Quiniſexti* in vſum reuocauit, qua fuerat ſancitum, ne quis clericus vel laicus Iudæos in infirmitate ſub excommunicationis vel ſuſpenſionis pœna ad ſe vocet, & ab illis medicinam accipiat, quæ ſanctio apud HARDVINVM *tom. III. p.* 1663. reperitur, ex qua *c.* 13. *C.* 28. *qu.* 1. in GRATIANI *decretum* eſt relatum.

(q) Quamuis inter proteſtantes medicis iſta iuris canonici obligatio nulla lege impoſita ſit: eorum officio tamen conuenit, ægrotantis æternæ ſaluti piis monitis conſulere, & vbi inprimis ex vi morbi vitæ periculum imminet, id familiaribus eius ac domeſticis mature ſignificare, vt hi de aduocandis animæ medicis curam ſuſcipiant. Hanc ſpiritualis ægrorum ſalutis ſollicitudinem ad medicos pertinere docet PHIL. IAC. SPENERVS in theologiſchen Bedencken *tom. IV. c. VII. art. III. ſect. XII. p.* 384. Dabey einen Chriſtlichen medico unverboten, vielmehr gantz anſtändig iſt, ſeinen patienten, die er Zuſpruchs bedörftig befindet, auch Chriſtlich zu zuſprechen, damit ſie ſich zu GOtt recht wenden, von dem aller Seegen der Artzeney kommen muß.

Si quis autem medicorum, inquit, *huius nostræ constitutionis, postquam per prælatos locorum fuerit publicata, transgressor exstiterit: tamdiu ab ingressu ecclesiæ arceatur, donec pro transgressione huiusmodi satisfecerit competenter.* Qui ab *ingressu ecclesiæ* arcentur, hoc ipso ab omni exclusi sacrorum vsu ius communionis cum christianis amittunt, atque ita pro *excommunicatis* habentur. Hanc pœnam probauit, & nouis accessionibus adauxit PIVS V. in supra (*§. XIII.*) laudata bulla: *quodsi qui medicorum præmissa non obseruauerint, vltra pœnas in dicta constitutione* (INNOCENTII III.) *contentas, quas incurrere declaramus, perpetuo sint infames, & gradu medicinæ, quo insigniti erant, omnino priuentur, & a collegio seu vniuersitate medicorum eiiciantur, & pœna etiam pecuniaria arbitrio ordinariorum, vbi deliquerint, mulctentur.* Medicis itaque, qui INNOCENTII decretum non obseruant, quæ maxima iuris canonici esse solet, pœna est statuta, cum excommunicatio pro *malo malorum* habeatur apud HARDVINVM *tom. IX. p. 50.* & *præter illam ecclesia, non habeat, vltra quid faciat. c. X. de iudiciis.* Huius pœnæ rationes egregie explicantur in *concilio Toletano P. IV. c. I.* apud *EVNDEM tom. X. p. 1815. Graue profecto, aiunt patres, & incomparabile damnum est, extra communionem sanctorum esse, Dei optimi maximi gratia, spirituali eiusdem protectione, Christi meritis, & demum ecclesiæ suffragiis & sacramentorum vsu priuari. Hæc omnia facit excommunicatio, quæ pœnarum omnium grauissima, formidabilissimaque, vt christianis minime contemnenda, sed potius summo cum tremore pertimescenda.* Quæ pœna medicis, quorum est quotidie inter homines versari, eo grauior & fere intolerabilior videtur, quod tanquam excommunicati extra omnem societatem ciuilem constituti, & iam in alio mundo ab omni hominum consuetudine ac commercio viuere, & artem sanandi deserere cogantur. Ita enim *capitularia* REG. FRANC. apud STEPH. BALVZIVM *Lib. V. cap LXII. & vt sciatis, qualis sit modus istius excommunicationis, in ecclesiam non debet intrare, nec cum vllo chri-*

medicis admodum noxiam.

christiano cibum vel potum sumere, nec eius munera quisquam accipere debet, vel osculum porrigere, nec in oratione se iungere, vel salutare, Vnde fit, vt excommunicati pro abiectissimis, instar pestis cuiusdam fugiendis, habeantur, & in publico omnium contemtu sint, ideoque summam infamiam contrahere dicantur; quam infamiæ notam medicis, legem sibi ab INNOCENTIO III- scriptam negligentibus, PIVS V. inussit. Tandem quemadmodum excommunicati ab omnium munerum publicorum exercitio excluduntur, vt ex variis conciliis euictum dedit *vener. dn.* PARENS in *diss. de statu excommunicat. ciuili §. XXXV:* ita PIVS V. hanc medicis pœnam indixit, vt quo insigniti erant medicinæ gradu, priuentur, & a collegio medicorum eiiciantur. Cum vero legis cuiusque sanctio pœnalis de eodem casu, quem ipsa legis constitutio indigitat, intelligenda sit; pontificio decreto autem caueatur, vt medici ægrotos, *quibuscunque morbis* laborent, ad animæ medicos aduocandos inducant (§. I.): dubium non est, quin ad *omnes morbos*, in quibus medici illas admonitiones negligunt, *sanctio pœnalis* pertineat. Quamuis vero per morbos non quamlibet imbecillitatem & aduersam valetudinem, sed illam, ex qua sanitas grauius quodammodo affligitur, intelligendam esse putem; quod ipsius PII V. bulla innuit, quæ de medicis, ad *infirmos in lecto iacentes* vocatis, loquitur: caue ndum tamen, ne sententiam illius constitutionis nimis iusto restringentes, medicos in *periculosis* tantum *morbis* ista pœna teneri statuamus, in quo ACTIVS *de infirm. P. II. p. 217. n. 6.* lapsus esse videtur. (r) Quis enim morbus tam leuis, quin præter spem & opinionem ingrauescere, & mortem inferre possit? Quis ægrotus adeo extra omne vitæ periculum positus est, quin leui casu in maximum discrimen incidere possit? Denique quo maior

ad omnes morbos pertinet hæc obligatio pœnal

(r) Quam sententiam cum FILLIVCIO & SVAREZIO etiam amplectitur FRANCISCVS PELLIZARIVS III *manual. regul. tr. V. c. 3. Sect. I. n. 11.*

iuramento obstringendi sunt medici de hac sanctione seruanda.

ior huic PII V. constitutioni auctoritas accederet, & illa absolute in vsum deduceretur: pontifex in §. 6. sanxit, vt *nullus posthac vbique locorum in medicina doctoretur, aut ei quomodolibet medendi facultas a quouis collegio & vniuersitate concedatur, nisi omnia in hac præsenti constitutione contenta medio eorum iuramento confirmarint.* Ipsa iurisiurandi, quod doctores promoti præstant formula, quam PAVL. ZACCHIAS in *quæst. medico legal. l. VI. tit. I. qu. IV. n. 9.* suppeditat, hæc est. *Omnes qui ad manus meas deuenient, primum ad pœnitentiæ sacramentum suscipiendum hortabor: alias post tertiam diem, nisi confessi fuerint, non redibo.* Pergit autem PIVS V. & ad eo maius robur constitutioni prædictæ adiiciendum, hæc §. 7. addit, cauetque, *vt ordinarii iuramentum prædictum a medicis iam promotis seu licentiam medendi habentibus, omnibus iuris remediis exigant, neque aliquos ad medendum in ciuitatibus, & diœcesibus prædictis admittant, nisi eis constiterit, eosdem iuramentum huiusmodi præstitisse, & contumaces, & iurare & iuramentum iam præstitum exhibere recusantes, gradu medicinæ & omnibus priuilegiis eisdem medicis, tam coniunctim quam diuisim eis & eorum cuilibet concessis per quosuis etiam Romanos pontifices, priuent, & ab ingressu ecclesiæ arceant, donec resipuerint.* Tantæ curæ PIO V. fuit *animæ corporisque medicorum coniunctio*, vt quacunque fieri ratione posset, illam in vsum & exactam obseruantiam deducere studuerit. (s) Cum vero medici seculares personæ sint, eorumque studium caussam secularem habeat: illud prorsus singulare esse videtur, quod pontifices illis leges præscribere, eorum officium determinare, eosque sanctionibus pœnalibus constringere sibi sumserint. Verum enim vero innumeris aliis exemplis constat, quam variis sub coloribus ad seculares personas legislatoriam potestatem pontifices extenderint, & ex eo, quod sollicitam animæ curam

Ex quo fundamento ius canonicum sibi iurisdictionem in medicos vindicet.

(s) Curandum præterea erat, vt graui morbo adflicti inducerentur ad *opera pietatis*, vti vocantur, exercenda, per *legata ad pias causas*, quæ rursus *remedium animæ* esse creduntur.

curam agere dicantur, de omnibus, quæ ad hanc quacunque ratione pertinere videntur, per leges disponendi ius sibi adscripserint. Duplici enim gladio ecclesia instructa esse dicitur, altero *spirituali*, altero *seculari*. Illo quotidie vtitur; hunc in subsidium stringit, vbi causa *pietatis* vel *euitandi peccati* subest, sub qua prætexta ratione potestatem ad *secularia* transfert. Similis est, prætextus, quo ius canonicum hoc loco vtitur, spirituali ægrotantis saluti ante omnia consulendum præcipiens, medicosque obstrictos esse decernens, vt languidos de euitando peccato, in quod per contemtum salutaris confessionis & pœnitentiæ medicinæ incurrere dicuntur, sedulo adhortentur.

§. XV.

Quum itaque *animæ corporisque medicum* ad obtinendam spiritualem atque naturalem languentis sanitatem coniungendum esse, statuat ius canonicum: vtriusque inter medicinam maxima quoque intercedere debet harmonia, nec a medicis quicquam, quod *animæ salutem* læderet, ad promouendam corporis incolumitatem est adhibendum. Prima igitur atque summa illorum a iure canonico data lex est; *darent medici operam, ne quid per naturalem medicinam spiritualis ægrorum salus incommodi capiat.* Hoc ipsum ab *Innocentio III.* cautum legitur in *c. 13. X. de pœnit. & remiss. Ceterum cum anima multo pretiosior sit corpore; sub interminatione anathematis prohibemus; ne quis medicorum pro corporali salute aliquid suadeat, quod in periculum animæ conuertatur.* Cum illud principium iuris canonici plane vniuersale sit, vt omne id, ex quo animæ periculum metuendum est, reprobetur atque damnetur, eoque nomine etiam pacta, transactiones, iuramenta pro nullis atque inualidis habeantur: quare medicamina cum animi sanitate pugnantia prohibita sint, ratio ex alto non est accersenda. Per *anathema* pontifex *in cit. cap.* nihil aliud, quam *excommunicationem grauissimam* indigitare voluit, cum qua olim, ex Iudæorum more, plures solennes execrationum & anathematis

Nulla medicina in periculum animæ vergens a medicis suadenda est.

formulæ coniunctæ erant, ideoque ipsa excommunicatio gravior sæpissime *anathema* dicebatur. INNOCENTII III. sanctio repetita est in *concil. Narbonensi* a. 1695. habito *cap. XVI. in f.* apud HARDVINVM *act. concil.tom. XI. p.* 18. *Ne pro terreno in homine deturpetur, quod ad imaginem Dei effectum est, cum anima longe corpori præstet, pro quacunque infirmitate corporis sananda sub interminatione diuini iudicii inhibemus medicis, remedia ordinare, per quæ ad peccatum mortale inuitari possit ægrotus.* Inter damnata medicamenta ab AVGVSTINO in *c.* 6. *C.* 26. *qu.* 2. (1) omnes *ligaturæ* referuntur & *remedia, quæ medicorum quoque disciplina condemnat, siue in præcantationibus, siue in quibusdam rebus suspendendis atque ligandis, vel etiam saltandis quodammodo, non ad temperationem corporum, sed ad quasdam significationes aut occultas aut etiam manifestas, quæ eminentiori nomine physicam vocant, vt quasi non superstitionem implicare, sed naturæ prodesse videantur;* id quod exemplo idem illustrat, si cui singultienti dicatur, vt dextera manu sinistrum pollicem teneat. Non sine ratione AVGVSTINVS istam superstitionem in sequentibus detestatur, cum vera religio illam abhorreat, & hac capti, non contemnendum animæ periculum incurrere possint. Huiusmodi per præstigia sanandi rationem & AVGVSTINI temporibus & sequioribus seculis Christianis admodum familiarem fuisse, tot patrum & episcoporum querelæ docent, totque concilia testantur, quibus horum superstionis plenorum vsus penitus reprobatus damnatur. Querelas eiusmodi etiam alibi mouet AVGVSTINVS *serm. CCCVIII. de martyre Stephano oper. tom. V. p.* 1274. *edit Paris. Aliquando*, inquit, *ægrotat fidelis, & ibi est tentator. Promittitur illi pro salute illicitum sacrificium noxia & sacrilega ligatura, nefanda incantatio, magica consecratio promittitur.* Idem *c.* 15. *C.* 26. *qu.* 7. admonet sacerdotes, vt doceant fideles, magicas artes incantationesque infirmitatibus hominum nihil remedii posse adferre. Vnde ELIGIVS *Nouiomen-*

Ad reprobata remedia pertinent (1) artes magicæ.

sis

sis episcopus in tr. de rectitudine cathol. conuersat apud CAROLVM COINTIVM *annal. ecclesiast. Francorum tom. III. p.* 484. *n.* 28. *Ante omnia*, inquit, *illud denuncio atque contestor, vt nullas paganorum sacrilegas consuetudines obseruetis, non coragos, non diuinos, non sortilegos, non præcantatores, nec pro vlla caussa aut infirmitate eos consulere vel interrogare præsumatis, quia qui facit hoc malum statim perdit baptismi sacramentum.* Quos ille per *coragos* intelligat, illustrat COINTIVS *c.l.* eosque ἀπὸ τοῦ κάρου i. e a *sopore graui*, quem huius notæ homines suis præstigiis inducere solent, nominatos putat. Pergit vero ELIGIVS apud EVNDEM p. 488. *Præterea quoties aliqua infirmitas superuenerit, non quærantur præcantatores, non diuini, non sortilegi, non coragi, nec per fontes, aut arbores, vel biuios diabolica philacteria exerceantur.* (II) Philacteria prohibita quoque sunt, quæ antiquitus plerumque erant *amuleta*, ad arcendos pellendosque morbos adhibita, quæ docente IOSEPHO NERIO *analect. L. II. c. VIII. thesauro iur. Rom. tom. II. p.* 402. inserto, medicis olim admodum vsitata fuerant. Illorum origo antiquissima est, eaque nec Aegyptiis, nec Hebræis incognita fuerunt, ceu euictum dedit HERMANNVS WITSIVS in *Aegyptiacis L. I. c. IX.* Locus notatu dignus est, quem hic ex auctore Arabe ABENEPHIO adducit, quo *philacteriorum* indoles egregie illustratur. *Erat*, inquit, *frequens in Aegypto vsus philacteriorum variis imaginibus insignitorum, queis se fortunatos esse futuros credebant; queis adiungebant statuunculas quasdam, quas auertentes nuncupabant, quas nunc collo, pectore, manibus portare, nunc in angulis domuum aliisque locis veluti custodes eorum collocare solebant.* Hi superstitiosi medendi mores ex gente in gentem transmigrarunt, & apud Francos & Germanos in Christianismum irrepserunt. Hinc in *indiculo superstitionum & paganiarum capitulari, Carolomanni adiecto*, apud BALVZIVM *capitul. Reg. Francor. p.* 151. referuntur *philacteria & ligaturæ.* Tametsi quidem in variis capitularibus presbyteris, vt de extirpandis, quæ ex *paganorum ritu* supererant, philacteriis solliciti essent, fuerit iniunctum: adeo diffi-

2) Philacteria.

difficulter tamen opprimi potuerunt, vt & ipsi sacerdotes eadem superstitione essent infecti. Statutum itaque *capit. 72. Libr. VI.* apud EVNDEM *p.* 934., *vt clerici vel laici philacteria vel falsas scriptiones aut ligaturas, quæ imprudentes pro febribus aut aliis pestibus adiuuare putant, nullo modo ab illis vel a quoquam christiano fiant, quia magicæ artis insignia sunt.* Variis deinde conciliis *philacteriorum vsus* sub anathematis fulmine damnatus est, vt in *concilio Laodicensi* in *c.* 4. *C.* 26. *qu.* 5. & *a* GREGORIO II. in *concilio Romano cap.* 12. apud HARDVINVM *tom. III. p.* 1465.

§. XVI.

3) Oleum S. Pari ratione (III) medici *oleo sancto* abuti censentur, qui illo ægrotos in vim medicamenti intingunt. ACTIVS *de infirmit. cap. XLIV. n.* 27. Reperiuntur tamen quædam per *oleum benedictum* factæ curationis documenta. Eius rei exemplum est apud TERTVLLIANVM *ad Scapul. c.* 4. vbi Proculus christianus Seuerum Imperatorem *oleo sancto* curasse dicitur. MARTINVM oleum ad diuersas morborum caussas necessarium, sicut eius temporis consuetudo fuerat, benedixisse refert SVLPIC. SEVERVS *dial. III. cap. III.* Testis est GREGORIVS TVRONENSIS *lib. I. historiar. c. XLI.* Artemium quendam vi febrium correptum a S. Nepotitano visitatum & *sancto oleo* perunctum sanitati redditum esse. Quibus rebus demum effectum est, vt hoc per *oleum benedictum* peractæ medicinæ genus vbique fere inualuerit, & medici *sanctum oleum* a sacerdotibus expetierint diligenter & fere quotidie. Tandem hoc variis conciliis improbatum, & potissimum concilio *Moguntino can. XXVI.* cautum est, *vt presbyteri chrisma sub sigillo custodiant, & nulli sub prætextu medicinæ vel maleficii donare inde præsumant; quodsi fecerint, honore priuentur*, id quod *in concil. Arelatensi c. XVIII.* repetitum. Cum porro (IV) illa medicamina, quibus æger ad peccandum vel delinquendum inuitatur, cum religione & pietate pugnent, ideoque animæ detrimentum inferant: medici tale quid ad recuperandam ægrotantis sanitatem

sua-

ſuadere, ſub *anathematis* pœna prohibentur. Quamuis enim omnibus modis valetudinis ratio habenda,& pro vitæ conſeruatione laborandum ſit: eiusmodi tamen remediis, quæ diuina præcepta lædunt, nullo vnquam tempore vtendum; cum non horum ſolum virtus, & in ſanandis ægris efficacia plerumque dubia ſit ac incerta, ſed & alia remedia, quorum naturali vi idem efficitur, vix ac ne vix quidem deeſſe ſoleant. Reprobatorum remediorum cenſu merito *ſcortatio* habetur ad alicuius morbi curationem & ad euitandum mortis periculum præſcripta. Quæ cum prorſus illicita ſit: medicus non ſolum peccat, ſi illam aperta fronte ſuadet, verum etiam ſi hanc ad ſanitatem aliquid conferre, quacunque ratione affirmat. vid. PAVL. ZACCHIAS *quæſt. medico legal. l. VI. tit. I. quæſt. V.* Si vero apud quosdam ægrotos hoc remedium præ ceteris reprobandum eſt: profecto clericos eſſe puto, quibus cum in genere omni omnino concubitu interdicatur, illos eo magis hoc loco ab illo abhorrere oportet. Laudi igitur epiſcopo Eboracenſi ducitur ab ANT. DADINO ALTESERRA *ad decretal. Innocent. III. c.* 13. *X. de pœnit.*, quod vitæ ſalutem contemſerit, proponentibus medicis, quod non conualeſceret, niſi per coitum. (V) Tandem cum medicorum præcepta, vti iam dictum, ægrotos ad peccandum prouocare non debeant: nullum medicus remedium ad conſeruandam mulieris prægnantis vitam atque ſanitatem proponat oportet, quod *abortum* vlla ratione procurare poſſit. (s*) Vtrum mulier per eiusmodi medicinam ſuaſu medici fœtum velut vitæ eius inuaſorem licite expellere queat, erudite diſputat 10. PONTAS in *dictionario caſuum conſcient.* v. *abortus*

4) Scortatio.

5) Abortus procreatio.

(s*) Ne medici eiusmodi partui aduerſa medicamina mulieribus admouerent, iam olim iureiurando obſtricti ſunt; id quod docet formula iurisiurandi apud HIPPOCRATEM *p.* 1. ὁμοίως δὲ οὐδὲ γυναικὶ πεσσὸν φθορήιον δώσω. *Neque ſimili ratione mulieri peſſum ſubditicium ad foetum corrumpendum exhibebo.*

ortus, casu II. Multos auctores hoc loco distinguere docet, vtrum partus *animatus* sit *nec ne?* Si enim fœtus *nondum animatus* est, mulierem eiusmodi medicinam salua conscientia adhibere posse, alii censent: quod tamen alii negant, vbi partus est animatus. Ipse vero reiecta hac distinctione, quam & reiiciendam & exterminandam esse, iam olim docuit vener. dn. PARENS *diss. de cæde infantum in vtero*, nullo plane tempore eiusmodi remedio vtendum esse, recte decidit. Nulla enim profecto remedia minus secura sunt quam *abortiua*, quibus ipsa mater in vitæ discrimen plerumque incurrit, ita vt abortus vix procurari possit, quin & fœtui iuxta atque matri vis inferatur. Accedit, quod variis conciliis prohibitum sit, fœtus conceptos abigentia medicamenta dare, quorsum pertinet constitutio *concilii Quinisexti can.* 91. apud HARDVINVM *tom. III. p.* 1694. *Eas* (personas) *quæ dant abortionem facientia medicamenta, & quæ foetus necantia venena accipiunt, homicidæ pœnis subiicimus;* id quod repetitum *concilio Herdiensi c.* 2. apud EVNDEM *tom. II. p.* 1064. Omnium vero clarissime ex *bulla* SIXTI V. anno 1558. publicata, & *tom. II.* BVLLARII MAGNI *p.* 648. inserta elucet, eiusmodi medicorum consilia atro calculo notari. Pontifex enim primo in genere illius criminis atrocitatem ostendit, &, *Quis non detestetur*, inquit, *tam execrandum facinus, per quod nedum corporum, sed quod grauius est, etiam animarum certa iactura sequitur?* Cum vero medici remedium in fraudem animæ vergens ægris præscribere ab INNOCENTIO III. in *c.* 13. *de pœnit.* vetentur: illis quoque remedia, abortum promouentia, dare prohibitum esse, facile liquet. Deinde pontifex clarius §. 7. ita decernit: *omnes, qui vel quæ veluti principales, vel vt sociæ consociæque ad tale facinus committendum opem, consilium, fauorem, potionem, vel alia cuiuscunque generis medicamenta scienter dederint, ac etiam scribendo litteras priuatas, vel apochas, vel alias verbis aut signis iuuerint, aut consuluerint, vltra supra dictas pœnas, ipso facto, ex nunc prout ex tunc excommunicamus, & prout excommunicatis declaramus.* Idem GREGORIVS

quæ variis conciliis reprobatur.

GORIVS XIV. a. 1591. per bullam, quæ in BVLLARIO M. *tomo eod. pag.* 709. habetur, confirmauit, eosque, qui vel auxilium vel consilium ad fœtus expellendos dederint, pœnis ordinariis subiecit, vt ideo dubii nihil superſit, quin eiusmodi medicorum consilia penitus pro reprobatis sint habenda.

§. XVII.

Quamuis itaque nullum remedium, ex quo animæ salus in discrimen vocatur, ægrotis sit adhibendum, & ecclesiasticæ medicinæ naturalis aduersari haud debeat: contingit tamen quandoque, vt medica consilia non possint non quodammodo & apparenter cum ecclesiæ præceptis pugnare. Etsi enim *ieiunium* pro peccatorum remedio indictum ab ecclesia atque statutum sit: medici tamen, vbi sanitatis ratio id postulat, annuentibus ipsis canonibus, aliquid contra illud statuere possunt. In quibus morbis id ab illis fieri possit, & quam prouide & caute in eiusmodi consiliis dandis procedere debeant; medicorum officium instruit P. ZACCHIAS *Lib. V. tit. V. qu. V.* Agnoscit AMBROSIVS *c.* 21. *de consecrat. D.* 5. medicinæ præcepta a ieiunio reuocare, quod nec ex *iuris canonici* mente improbandum esse videtur, cum ægrotus non religionis contemtu, sed *necessitate* vrgente ab *ieiuniorum* obseruantia excludatur. TIMOTHEVS igitur *Alexandrinus episcopus* interrogatus, vtrum ægrotus ieiunii legem seruare teneatur, in *responsis canonum* apud HARDVINVM *tom. I. p.* 1194. *Excogitatum est*, inquit, *ieiunium, vt corpus humile reddatur. Si ergo corpus in humilitate & imbecillitate versatur, debet cibi & potus, quantum potest, esse particeps.* Cum ergo ipsi ægroti ieiunia frangentes haud redarguantur: multo minus medicis tale quid suadentibus improbandum esse puto. Quid quod si ægrotus se vel maxime voto, cuius sanctissima esse solet obligatio, ad ieiunium obstrinxerit: non prohibentur tamen medici, vbi ratio valetudinis id postulat, aliquid eiusmodi ieiunio aduersum præcipere, cum & ipse ægrotus illud negligens voti reus

Vtrum medici aliquid contra ieiunium statuere possint?

non habeatur. *c.* 4. *X. de reg. iur.* Fuerunt quidem, qui singularem aucupantes sanctitatis pietatisque speciem, valetudinem debilitatam spernentes nefas iudicarunt, sanitatis ergo ieiunium negligere. Laudi illud tribuitur *reginæ Scotiæ* MARGARETHAE *in actis sanctor. d.* 10. *Ian. tom. I. p.* 332. quod per nimiam abstinentiam grauissimæ infirmitatis incurreret molestiam. Verum enim vero qui ex eiusmodi inani zelo a ratione sana alieno ieiunant, vbi ex ieiunio morbus aut mors facile contingere potest, hos magis peccare quam mereri, vel potius *pie agere* recte censuit ACTIVS *c. l. cap. XLIII. n.* 25.

§. XVIII.

Vtrum mortem ægris annunciare medici debeant.

Cum medici ægrotos ad confitendum inducere ac persuadere obligati sint; persuasio autem in repræsentatione plurium motiuorum consistat, quibus aliquis ad agendum determinatur: sequitur, vt & medici ægroto omnia ista *motiua*, quibus voluntatem eius ad confessionarios aduocandos flectere possint, proponere teneantur, adeoque quia nulla re facilius, quam imminente vitæ periculo ad æternæ salutis cogitationes adduci solent ægrotantes, hoc inprimis *motiuo* medicus vti, & si ægrotus in vitæ discrimine versatur, hoc ei mature annunciare tenetur, vt hoc mortis nuncio perculsus, de animæ medicis mature aduocandis sollicitus sit. Quod si vero æger iam confessus; medici obligatio, vi cuius illum ad confitendum inducere debebat cessat, ideoque nec illum de imminente mortis periculo certiorem reddere obstringitur ex sententia. ACTII *de infirm. c. XLV. n.* 26. *& seq.* (t) Quinimo eiusmodi mortis instantis annunciatio prouide & cum iudicio a medico facienda, ne nimia animi perturbatione morbus ingrauescat, & sic mortem accelerandi occasionem det. Hinc medicorum facile princeps HIPPOCRATES

præ

(t) Quod sola hominis *conuersio* confessione & *pœnitentia tali auriculari* perficiatur, nec quicquam præterea desideretur; quod cum s. scriptura haud congruit.

prænotion. sect. I. ægrotos diligenter potius hortandos esse censet, ne animo nimium perturbentur. *Ipsi*, inquit, *ægri ob affectionem doloris plenam animum despondentes, vitam cum morte commutant.* Quodsi vero ipse æger rationem suique morbi statum a medico anxie scisciterur, huius officio congruit, eundem de omni periculo fideliter instruere.

§. XIX.

Sed haec hactenus de medicorum officio ipsis INNOCENTII III. auctoritate imposito. Quoniam vero cum illis in ægrorum sanatione *animæ medicos* coniungendos esse, ius canonicum præcipit: quinam hi sint, paucis dispiciendum. Quandoquidem *animæ medici* suscipiendæ *confessionis* ergo ad ægrotos aduocantur: eiusmodi clerici accersendi sunt, quibus confessiones audire, & pœnitentiæ sacramentum administrare fas est. Qua potestate cum non omnes clerici, sed *presbyteri* gaudeant; ab his inprimis animæ medicinam petere ægrotos oportet. Neque tamen quemlibet sacerdotem acciere sufficit, sed cum PIVS V. in supra laudata bulla *idoneo confessori*, tum INNOCENTIVS III. in *cit. c.* 13. *proprio sacerdoti*, h. e. parocho, peccata confitenda esse iubet. Confessionarii nimirum instar *iudicum* iuxta iuris canonici principia habentur, qui de delictis, quorum confitens se ipsum reum facit & agnoscit, iudicant, pro arbitratu ac auctoritate pœnitentiam imponunt, & tandem *absolutionis* vel *condemnationis sententiam* ferunt. Coram illis igitur quoddam reuera *forum pœnitentiale* enatum est, in quo quandam *ordinariæ iurisdictionis* speciem in omnes illius, cui præfecti sunt parochiæ, fideles exercent. Vti vero omnis iurisdictio intra terminos præscriptos se continere debet, ita illa quoque sacerdotum, quæ in *foro pœnitentiali* sese exserit, iurisdictio parochiæ limites non egreditur, & tantum in subditos h. e. *parochianos*, exercetur. Cum itaque competens parochianorum iudex atque confessionarius *parochus* sit: parochiani ægrotantes proprium parochum confessionis faciendæ ergo aduocare tenentur.

Quinam sint animæ medici?

Parochi aduocandi sunt ad ægros.

tur. Quod adeo verum eſt, vt abſolutio, ab incompetente presbytero data, eadem ratione pro nulla declaretur, qua ſententia, ab incompetente iudice lata nullius habetur momenti atque valoris. *c.* 4. *X. de pœnit. & remiſſ.* In cuius rei euidentiſſimam probationem *concilii Tridentini* ſanctionem, quæ *ſeſſ. XIV. cap. VII. de caſuum reſeruat.* habetur, adferre liceat. *Quoniam igitur natura & ratio iudicii illud expoſcit, vt ſententia in ſubditos tantum feratur: perſuaſum ſemper in eccleſia Dei fuit, & veriſſimum eſſe, ſynodus hæc confirmat, nullius momenti abſolutionem eam eſſe debere, quam ſacerdos in eum profert, in quem ordinariam aut ſubdelegatam non habeat iurisdictionem.* Quamuis itaque languidi parochos ad ſe inuitare teneantur: ordinarium tamen confeſſionarium præciſe adhibere, non obſtringuntur, ſed quendam ex parochis, in quo præ reliquis fiduciam collocant, eligendi illis libertas competit; cum omnes parochi ordinaria *ligandi* atque *abſoluendi* facultate polleant. Quam eligendi mutandique confeſſionarii libertatem cum ipſi pontificii indulgeant; mirum ſane videtur, quare plures in Proteſtantium eccleſiis hanc tantopere reſtringant, & parochianis haud permittant, apud alium ex eadem eccleſia, relicto priori, confiteri, aut alium in morbis ad ſe vocare. Vt enim taceam, *ius* illud *bannarium*, ex quo quilibet confeſſionarius confitentem ſibi quaſi vindicare cupit, ac impedire, quominus apud alium ex eadem parochia confeſſionem deponat, ratione ſufficiente deſtitui: meminiſſe illos oportuiſſet, confeſſionem nullam ex principiis Auguſtanæ Confeſſionis *iudicis eccleſiaſtici competentiam* deſiderare, ſed ſoli Deo fieri, eamque ſolaminis petendi ergo ſacerdoti declarari. Quo vero modo ſincera animi pectorisque declaratio ei fieri poterit, in quo quis nullam ponit fiduciam? Quo quis animo ab eo ſolatium efflagitabit, cui non confidet? Quæ omnia minus inuicem congruere ac cohærere, cum plenius docet *vener. dn.* PARENS in *iure paroch. S. IV. c.* 1. §. *XII.* tum elegans eam in rem ORIGINIS ſententia eſt, in *Pſ. XXXVIII. homil.* 2. quam illo tempore

Aegroti aliquem ex parochis confeſſionarium eligere poſſunt.

tempore tulit, quo confessionis summa erat libertas. Ait enim: *Tantummodo circumspice diligenter, cui debeas confiteri peccatum tuum: proba prius medicum, cui debeas caussam languoris exponere, qui sciat infirmari cum infirmante, flere cum flente, qui condolendi & compatiendi nouerit disciplinam: vt ita demum, si quid ille dixerit, qui se prius & eruditum medicum ostenderit & misericordem, si quid consilii dederit, facias & sequaris.*

§. XX.

Ceterum vbi *parochi* copia haberi nequit, quemlibet etiam alium ecclesiæ ministrum ad ægrotos aduocari posse, non dubitandum: id quod etiam de iure canonico verum est, secundum cuius sententiam in mortis articulo confessores non attenduntur, sed quilibet *presbyter* quemlibet agonizantem, & pœnitentiæ signa edentem, etiam in casibus, papæ vel episcopis reseruatis, absoluere potest. CLAVD. FLEVRI *inst. iur. can. P. II. c. IV. §. III.* Illud ipsum illustre ac manifestum est, ex *concilio Nemausensi* apud HARDVINVM *tom. VII p.* 913. quo ita cautum: *nolumus tamen, quod prædicti fratres* (h. e. minores & prædicatores) *confessiones infirmorum audiant absque licentia proprii sacerdotis, nisi infirmis mortis periculum immineret.* Idem decernit *concilium Arelatense c. XXI.* apud EVNDEM *tom. cit. p.* 732. *Et quoniam parochialibus presbyteris curam animarum habentibus specialiter & præcipue cura commissa est animarum: statuimus, inhibentes, quod infirmantium confessiones non nisi per ipsos parochiales presbyteros, si haberi potuerint; vel per alios presbyteros seculares & religiosos de ipsorum licentia audiantur, quam licentiam dari volumus & præcipimus ab iisdem liberaliter & libenter, cum fuerint requisiti.* Imo quamuis absoluendi a peccatis auctoritas ad *sacerdotes* solos pertineat: tamen cum pœnitentiæ sacramentum morientibus pœnitentibus, vt *baptismus* catechumenis, absolutæ necessitatis esse credatur; vrgente mortis periculo a *diaconis* etiam eandem impertiri posse, ex iuris canonici principiis tuetur IO. MORINVS *de administr. pœnit, sacram. lib. VIII. c. XXIII.* Id quod eo magis hoc iure obtinet, cum

In defectu parochi etiam alius aduocari potest.

idem

idem olim quoque in lapsis pœnitentiam agentibus, & in mortis discrimine positis, obseruatum fuisse, moneat CYPRIANVS *ep. XIII. vt si presbyter non repertus fuerit, & vrgere exitus cœperit, apud diaconum quoque exomologesin facere delicti sui possint, vt manu eis in pœnitentiam imposita veniant ad dominum cum pace.* (u) Vtrum vero omnibus clericis deficientibus, necessitate exigente, medicus seu alius *laicus* confessionarii spartam suscipere, & animæ medici officio defungi possit, dubium vel maxime videtur. Si ex protestantium quidem principiis quæstio soluenda; decisio in promtu est. Cum enim omnis confessionis vis in eo posita sit, vt Deo ex animo fiat, ceteroquin vero cuilibet christiano declarari queat: nihil impediet, quo minus medicus animæ medici munia suscipiat, vt ægrotantem conuertat, eumque ad seriam pœnitentiam inducat. Quodsi vero ad iuris canonici normam hanc causam æstimaueris; maior difficultas adesse videtur, cum sacerdoti regulariter sit confessio facienda, & *absolutionis impositio* pro *actu sacerdotalis iurisdictionis* habeatur, qua quilibet *laicus*, ideoque & *medicus* destituitur. Nihilominus tamen saluis hisce principiis necessitati parendum esse, & vbi presbyteri desunt, confessionem etiam laico cuilibet recte fieri posse, patres censuerunt. AVGVSTINVS in *c. 1. D. 6. de pœnitent.* *Tanta vis*, inquit, *confessionis est, vt si deest sacerdos, confiteatur proximo. Sæpe enim contingit, quod pœnitens non potest confiteri coram sacerdote, quem desideranti nec locus nec tempus offert: & si ille, cui confitebitur, potestatem soluendi non habet, fit tamen dignus venia, desiderio sacerdotis, qui socio confitetur turpitudinem criminis.* In eandem sententiam pedibus abit GRATIANVS in *c. 11.*

tam laicus quam ipse medicus.

quod ex iure canonico explicatur.

(u) Torsit hic locus ingenia interpretum, recentioribus principiis imbutorum, adeo vt varias huius sententiæ interpretationes excogitauerint. Præ ceteris in hoc argumento vires ingenii exercuit autor *de la vie de S. Cyprien* anno 1717. Parisiis editus, cui tractatui adiecit dissertationem *sur l' absolution des diacres.* Conf. NATALIS ALEXANDR. *historia eccl. ad sec. III. diss. IV.*

c. 11. *C.* 26, *qu.* 6. qui, *morituris*, inquit, *succurritur etiam a laicis, si presbyteri desunt. Cur ergo beneficio reconciliationis per presbyterum ei subueniri non poterit, si contigerit episcopum deesse? si secundum Augustinum, qui agens in extremis, confitetur socio turpitudinem criminis, sit dignus venia ex desiderio sacerdotis, cur similiter non sit dignus reconciliatione ex desiderio episcopi, qui sacerdoti non negat maculam sui reatus?* Necessitatis casum supponit AVGVSTINVS, vbi quis forte in vitæ periculo constitutus sacerdotis copiam non habuerat, quo casu *DEVM cor respicere*, ait, *dum ex necessitate prohibetur ad sacerdotes pervenire.* Vim decisionis in ipsa *confessionis*, ex animo factæ, *virtute* collocat, quod & confirmat THEODORVS *Cantuariensis episcopus cap. XXXV. & CVI.* apud HARDVINVM *tom. III. p.* 1774. *qui confessio*, inquit, *Deo soli, si necesse est, agi licet:* cui sententiæ calculum adponit pontifex GREGORIVS III. apud EVNDEM *cit. l. p.* 1876. aitque: *Confessionem suam vnicuique soli DEO, si necesse est, licet facere.* Quamuis itaque confessio DEO facta sufficere videatur: canonum tamen interpretes suadent, vt, vbi alius christianus adest, illa coram hoc proponatur, cum confessionem carnis & *singulorum peccatorum* manifestationem ad remissionem consequendam desiderent. vid. ARNOLD. CORVINI *ius can. tit. de pœnit. & remiss.* §. 19. Licet igitur cuilibet *laico*, ideoque & *medico*, agonizantis confessionem exaudire fas sit: nemo tamen nisi sacerdos *absoluendi potestate* instructus est, cum hæc pro actu pastorali habeatur atque iudiciali, ex iure *ligandi* & *soluendi* pendente, quod per *presbyteratus* demum ordinationem confertur. Hoc luculenter declarat *concilium Trident. sess. XIV. de absolut. cap.* 6. *Absolutio sacerdotis non est solum nudum ministerium, vel annunciandi euangelium, vel declarandi remissa esse peccata, sed ad instar actus iudicialis, quo ab ipso veluti a iudice sententia pronunciatur.* Confessio igitur *laico* facta ad hunc effectum suscipitur, vt absolutionem a DEO confitens

immediate adipiſcatur, quod & AVGVSTINVS *cit. cap.* non obſcure innuit, vbi ait: *etſi ille, cui confitebitur, poteſtatem ſoluendi non habeat; ſit tamen dignus venia ex deſiderio ſacerdotis, qui ſocio confitetur turpitudinem criminis.* Quæ omnia ſi haud præoccupato animo ponderamus, quid opus eſt hominis vel *laici* vel *clerici* abſolutione, cum Deus ſolus non homini homo peccata remittere, eumque abſoluere poſſit? Ingenua ſane atque notatu digniſſima eſt LEONIS X. confeſſio apud HARDVINVM *tom. IX. p.* 1893. *in bulla contra errores Martini Lutheri inſcripta; qui in ſacramento pœnitentiæ*, inquit, *ac remiſſione culpæ non plus facit papa aut epiſcopus, quam infimus ſacerdos? Imo vbi non eſt ſacerdos, æque tantum quilibet chriſtianus, etiamſi mulier aut puer eſſet.*

§. XXI.

Medicorum animæ officium in confeſſionibus audiendis poſitum eſt.

Quum itaque confeſſionarii medici animæ partes tueantur, medicus vero adhibere medicinam nequeat, niſi vulnera cognoſcat, & æger corporis dolores & adflictiones ipſi denunciet: confeſſionarii quoque nullam animæ adferre medicinam poterunt, niſi cognitis perſpectisque, quos languidus ipſi aperta fronte detegere debet, morbis ac angoribus. Confeſſionarii itaque officii pars ſumma in confeſſionibus, quibus ex *iuris canonici* ſententia omnes animi languores omniaque peccata ſigillatim manifeſtanda ſunt, audiendis eſt occupata. Hæc confeſſionariorum munia ita inſtruxit & exornauit noui iuris conditor INNOCENTIVS III. in *c.* 12. *X. de pœnit. & remiſſ.*, ſingulare ſingulis parochis iudicium pœnitentiale concedens, coram quo ſinguli fideles omnia peccata *ſemel in anno* fideliter confiteantur, niſi excommunicationis pœnam incurrere velint. Ante INNOCENTII III. tempora dura hæc & coacta confeſſionis lex incognita fuit, præterquam quod, qui ex eccleſia eiecti erant, non prius, quam exomologeſi delictorum publice coram eccleſia facta, reciperentur; cum nihil tam naturale eſſet, nihilque ratio-

ni

ni conuenientius, quam illum, qui ecclesiam læserat atque offenderat, si in gratiam cum illa redire vellet, iniuriam ecclesiæ illatam publice agnoscere; ceu ex confœderata christianorum disciplina probauit VENER. DN PARENS *diss. III. ad Plin. & Tertull.* §. *XXIX. & seq.* Ceterum prioribus mille seculis quædam confessionis adhuc erat libertas; quamuis eius vtilitatem summopere laudauerint patres, suadentes, vt peccata *occulta* episcopo confiterentur, &, sponte pœnitentiam subeuntes, *pœnitentium locum* in ecclesia occuparent, ceu PHILIPPI Imperatoris exemplo docet (x) EVSEBIVS *hist. eccles. lib VI. c.* 34. Conf. BARONIVS *ann. eccl. tom I. ad a.* 56. *n. XXII.* Interim confessionem sacerdotibus faciendam tantum suadebant, non absolute imperabant. CYPRIANVS in *libro de lapsis, confiteantur singuli quæso delictum suum*, inquit, *dum adhuc, qui delinquit in seculo est, dum admitti confessio eius potest, dum satisfactio & remissio facta per sacerdotes apud dominum grata est.* Confessionem vero ideo inprimis *vtilem* esse docebant, vt salutaria a sacerdotibus consilia ac solamina petere, & pœnitentiæ rationem exquirere possent, quamuis eam non absolute necessariam habuerint, ceu discimus ex *concilio Cabilonensi* a 813. celebrato *can. XXXIII.* apud HARDVINVM *tom. IV. p.* 1037. *Quidam Deo solummodo confiteri debere dicunt peccata; quidam vero sacerdotibus confitenda esse percensent, quod vtrumque non sine magno fructu intra sanctam fit ecclesiam. Confessio itaque, quæ Deo fit, purgat peccata; ea vero, quæ sacerdoti fit, docet, qualiter peccata ipsa purgentur. Namque Deus*

 salutis

(x) Contra fidem historicam tamen, cum nequidem euictum sit, hunc imperatorem sacris christianorum addictum fuisse. Conf ANT. PAGI *in critica ad* BARONII *annal. tom. I. ad an.* 244. *n. IV. & seqq. & ad a.* 247. *n. VI. & seqq.* SAM. BASNAG. *annal. eccles. tom. II. ad a.* 244. *n. VII. VIII.*

salutis & sanitatis auctor & largitor plerumque hanc præbet suæ potentiæ inuisibili administratione, plerumque medicorum operatione. Eorum itaque, qui solo Deo confitendum esse censent, sententia in *cit. concilio* absque censura prolata, magnæ vtilitatis esse laudatur: quamuis *priuata confessio* magis commendetur. Olim eiusmodi confessiones episcopo inprimis fieri solebant: confessionum vsu crescente episcopi hanc sollicitudinis partem *presbytero* cuidam *pœnitentiario*, qui vniuersæ ecclesiæ præerat, demandarunt, vt docet INNOCENT. CIRONIVS in *paratitl. ad L. V. decret. tit. de pœnit. & remiss. p.* 460. In hoc ceteros episcopos præiuisse videntur pontifices Romani, quibus longe ante INNOCENTIVM III. *sui pœnitentiarii* fuerant. Inde LVDOV. THOMASSINVS *de vetere & noua ecclesiæ disciplina p. I. lib. II. cap. X. Non discrepat*, inquit, *a verisimilitudine, decretum de pœnitentiariis vbique terrarum statuendis ad formam ecclesiæ Romanæ conditum temperatumque fuisse.* Cautum enim erat in *concilio Lateranensi IV. in cathedralibus ecclesiis* viros idoneos ordinari, quos episcopi possint coadiutores & cooperatores habere, non solum in *prædicationis* officio, verum etiam in *audiendis confessionibus* & *pœnitentiis* iniungendis. Tandem his rebus effectum est, vt confessionum audiendarum prouincia *parochis* fuerit demandata, & absoluta necessitas *parochianis* imposita, peccata quævis confitendi; episcopis grauium tantummodo atque atrocium delictorum confessionem sibi reseruantibus. Verum hi *spirituales iudices*, vt eos compellat IO. PONTAS *in dictionar. cas. conf.* voce *confessarius in proem.*, simul quæ prudentis *animæ medici* sunt, accurata diligentia obseruare debent. Vnde INNOCENTIVS III. *in cit. c.* 12. *de pœnit. Sacerdos autem sit*, inquit, *discretus & cautus, vt more PERITI MEDICI superinfundat vinum & oleum vulneribus sauciati, diligenter inquirens & peccatoris circumstantias & peccati: quibus prudenter intelligat, quale debeat & præbere consilium, & cuiusmodi remedium adhibere, diuersis expe-*

confessionarii sunt instar spiritualium iudicum.

Prudentes animæ medici esse debent.

experimentis vtendo ad ſaluandum ægrotum. *Diſcretus* & *cautus* ſacerdos eſſe debet, vt conſideratis perſpectisque omnibus peccatorum circumſtantiis, ipſi a confitente manifeſtandis, remedia pœnitentium morbis maxime conuenientia eligat, & qua illos ratione tutius ſanet, ſollicite diſpiciat, præcauens, ne nimis auſteriori vel iuſto leuiori pœnitentiæ medicina malum augeatur. Princeps enim confeſſionariorum, quam animæ morbis adhibent, medicina in *pœnitentia* imponenda conſiſtit, id quod *c. 77. D. I. de pœnit.* plane & aperte declarat: *Medicamentum fortius, quod maxime operatur in pœnitentia, hoc eſt. Sicut in præceptis medicinæ medicamentum multas quidam herbas accipit, vnam autem dominantiſſimam; ſic & in pœnitentia dominantior iſta herba & potentior eſt, & vniuerſum ipſa efficit.* Medicinæ autem uniuerſalis loco ideo *pœnitentiam* habendam eſſe cenſent, quoniam *ſatisfactio*, qua peccata expiantur, ac a Deo remittuntur, per illam ex iuris canonici ſententia DEO fieri dicitur, docente IO. MORINO *de adminiſtr. pœnit. ſacram. LIII. c. XII.* Quæ medicorum animæ munia ſuccincte ac neruoſe deſcripta legimus in *legibus eccleſiaſticis* EDGARI *regis Anglorum an.* 907. latis & ab HARDVINO *tom. VI. p. I. p.* 665. editis, quibus ita cautum: *Hoc illi ſerio cogitandum eſt, qui hominum animabus medicus conſtituitur, vt eorum nouerit actiones, eas ſcilicet recte vt diſcriminet, rectamque teneat in cenſura ſingulis imponenda rationem.* Paucis interiectis ita porro eius officium inſtruitur. *Interroga ipſum de ſui ipſius moribus, extorque ſcelera, & quæ ſint, propone omnia: ſed hæc tecum ſemper recognoſcens, vt vno eodemque modo nunquam iudicabis diuites & pauperes, liberos & ſeruos, ſeniores & iuuenes, firmos & infirmos, humiles & ſuperbos, fortes & debiles, ordinatos & ſeculares. Iudex prudens prudenter diſtinguit de facto, quod videlicet, quomodo, vbi, & quando ſit perpetratum. Et quamuis nullo loco ſeu tempore licitum ſit peccatum, feſtis tamen diebus, & ieiunii temporibus, feſtiuisque lo-*

Eorum medicina primario in pœnitentia conſiſtit.

cis cautius quisque ab hoc tenetur abstinere. Quanto enim quis potentior est, & maioris dignitatis, tanto grauius pro peccatis coram Deo & hominibus corrigendus est. Forti enim atque debili non imponendum onus simile, nec infirmo quidem, prout firmo, sed prudenti inter istos moderamine distinguendum est.

Absque pœnitentiæ impositione ægrotos absoluere debent.

In sola itaque ægrotantis confessione acquiescere confessionarium oportet, quæ hoc loco ad absolutionem impertiendam sufficere creditur, vt tamen æger valetudinis integritati restitutus, quam tunc subire debuisset, *satisfactionem* accurate suscipiat. Qua de re THEODORVS, *Cantuarensis Archiepiscopus* in *c.* 1. *C.* 26. *qu.* 7. ita decernit: *Ab infirmis in periculo mortis positis per presbyteros pura inquirenda est confessio peccatorum, non tamen illis imponenda quantitas pœnitentiæ, sed innotescenda, & cum amicorum orationibus, & eleemosynarum studiis pondus pœnitentiæ subleuandum, & si forte migrauerint, ne obligati a communione & consortio veniæ fiant alieni. A quo periculo, si divinitus ereptus conualuerit, pœnitentiæ modum a sacerdote sibi impositum diligenter obseruet:* quæ omnia fere iisdem verbis cauta leguntur in *synodo Claromontensi* apud HARDVINVM *tom. VII. p.* 599. Idem quoque in *synodo Exoniensi cap. V.* est sancitum apud EVNDEM *cit. l p.* 1079. vbi præmissa INNOCENTII III. de *animæ corporisque medicis coniungendis* constitutione ita cavetur: *Infirmi confiteri non tardent, sed pro sacerdote confestim mittant, & de die, propter diuersa pericula, quæ de nocte potuerint euenire. De quorum vero conualescentia desperatur, Dei tunc misericordiæ commendentur, nec est iis præcise pœnitentia iniungenda, sed notificanda potius, quæ debetur, vt si conualuerint, perficiant eam.* Eadem dispositio etiam probatur *concilio Namnetensi can.* 5. apud EVNDEM *tom. VI. p.* 458. Quodsi vero ob corporis debilitatem ne confiteri quidem æger possit, absolutionem vero nutu atque signis efflagitet, eandem animæ medicus denegare non debet, vt præcipit *c.* 8. *C.* 26. *qu.* 6. & amplissime

pliſſime ea de re disputat IO. MORINVS *c. l. Lib. X. cap. V.* (y)

§. XXIII.

(y) Ita vero contingit, vt lectum ægrotantis ſæpe vtriusque notæ medicis veluti circumſeptum ſit, aduocatis pluribus *medicis*, pluribus *ſacerdotibus* accerſitis, adueniente *parocho*, aduenientibus *monachis* ac *religioſis* Omnes quidem ac ſinguli de ſalute ægri mox deceſſuri contendere videri volunt, ſed, vt contingit ſæpe, ſuis ſinguli commodis proſpiciunt, ægrotantis ſalutem negligunt. Quem apparatum lepide perſtringit DESID. ERASMVS in colloquio, quod FVNVS inſcribit, & de honorifica cuiusdam ægroti morte ita diſſerit: *Vbi mors iam certa ſui ſigna dederat, medicorum chorus, qui diu curarunt ægrotum, diſſimulata vitæ deſperatione, cœperunt mercedem poſcere. - - Numerata pecunia, clam ſubmonuerunt proximos, non procul abeſſe mortem: curarent ea, quæ pertinerent ad animæ ſalutem; nam de corporis incolumitate nihil eſſe ſpei. - - His actis ſubduxit ſeſe ſtatio medicorum. Mox*, addit, *accitus eſt Bernardinus vir, vt ſcis reuerendus, Franciſcanorum cuſtos, qui confeſſionem exciperet. Vix peracta eſt confeſſio, iam aderat in ædibus turbo quatuor ordinum quos vulgus appellat mendicantium*, MA. *Tot vultures ad vnum cadauer?* PH. *Deinde vocatus eſt parochus, qui hominem inungeret, ſacrumque ſymbolum corporis dominici porrigeret.* MA. *Religioſe.* PH. *Verum ibi minimum abfuit, quin inter parochum & monachos cruenta pugna fuerit orta.* Addit porro: *Parochus vbi cognouit ægrotum fuiſſe confeſſum Franciſcano, negauit ſe vel vnctionis ſacramentum, vel euchariſtiam vel ſepulturam impartiturum, ni ſuis auribus audiſſet ægroti confeſſionem: ſe parochum eſſe, ſibi pro ſua ouicula reddendam domino rationem: id non poſſe, ſi ſolus ignoraret arcana conſcientiæ.* Poſt grauiſſimas concontentiones rixasque iniurioſas tandem ægrotus media de pace ineunda hæc propoſuit: *Sit pax inter vos, tibi parocho denuo confitebor. Deinde, pro ſtrepitu nolarum pro cantionibus funeralibus, pro cenotaphio, pro ſepultura numerabitur tibi pecunia prius, quam exeas*

§. XXIII.

Ad mortem damnati præparandi per medicos animæ.

Quas *medicorum* (y*) in aduocandis animæ medicis partes esse, hactenus euictum est: eadem quoque *iudicis* munia sunt, vt *animæ medicos* capitalis pœnæ reis accersendos curent, eosque ad seriam *peccatorum agnitionem* & *contritionem cordis*, vel

exeas hanc DOMVM; neque committam, vt vlla in parte de me queri possis. MA. *Num parochus recusauit tam æquam conditionem?* PH. *Non; tantum obmurmurauit nonnihil de confessione, quam ægroto remisit. Quid opus est*, inquit, *iisdem repetendis fatigare tum ægrotum, tum sacerdotem? Si in tempore mihi confessus fuisset, fortassis sanctius condidisset suum testamentum: nunc vos videritis. Hæc æquitas ægroti pessime habebat monachos, indigne ferentes, eam prædæ partem decidi parocho. Ego tamen intercessi fecique, vt lis sopiretur. Parochus vnxit ægrotum; dedit corpus domini, & numerata summa discessit.* Denique nouam tempestatem ad ægroti lectum exortam recenset ERASMVS, ex quo etiam cruciferorum ordo ingratiis ceterorum ordinum aduenit: quod dissidium tandem composuisse ægrotum dicit, singulis æqua pecuniæ portione diuisa. *Hereditas vniuersim* tandem pergit, *sic erat diuisa, vt detractis de solido impensis funeralibus, vncia cederet vxori, altera vncia decideretur filio.* His ipsis ERASMVS sui seculi mores depinxit, & abusum notauit, quanto pretio *animæ medicina* sæpius ægrotis pensanda fuerit: quamuis *animæ medicos* ad ægros aduocandos esse, non absolute improbauerit.

(y*) Singulari adhuc exemplo GREGORIVS IX. *animæ & corporis* medicos coniungendos esse decreuit, in diplomate, quo CAROLO regi Galliæ & IOANNAE reginæ anno 1376. hanc indulserat gratiam, vt tempore quadragesimæ *confessor* eorum cum iis dispensare, & de *concilio medicorum* iis vsum ouium, lactis & butyri concedere posset. vid. *diploma apud d'* ACHERIVM *tom III. spicil. p.* 738. *nou. edit.*

vel iuxta ius canonicum ad *confitendum* inducant. (z) Iudicum officium plenissime instruxit CAROLVS V. in *constitut. criminali art. CII.* **Nach der Verurtheilung des armen zum Todt, soll man ihn anderwerts beichten lassen, auch zum wenigsten ein Priester oder zween an Ausführen oder Ausschleiffen bey ihm seyn, die ihn zu der Liebe GOttes, rechten Glauben, und Vertrauen zu GOtt, und dem Verdienst Christi unsers Seligmachers, auch zu Bereuung seiner Sünde vermahnen.** Quodnam vero temporis spatium inquisitis, facta supplicii significatione, ad pœnitentiam capiendam a iudice relinquendum sit, definiuit imperator in *art. LXXIX.* **Dem, so man auf Bitt des Anklägers mit endlicher peinlicher Rechtfertigung straffen will, soll das zuvor drey Tage angesaget werden, damit er zu rechter Zeit seine Sünde bedencken, beklagen und beichten möge.** Ex praxi sui temporis vel *tres dies* seriæ conuersioni eius, cui capitale supplicium imminet, sufficere arbitratus est Cæsar. Cum vero ex nostræ religionis principiis tam breue temporis spatium *seriæ pœnitentiæ* peragendæ, non semper sufficere, persuasum habeamus: iudicis arbitratui apud protestantes relictum est, vt, ponderatis circumstantiis, reo atque ecclesiæ ministro petente, executionem ad aliquot dies differre possit. Equidem

(z) Olim in legibus Anglorum iudex, qui ad supplicium damnatis copiam sacerdotis denegauerat, CXX solidis puniebatur, quæ sanctio in *Leg ecclesiast.* CANVTI REG. ANGL. *a.* 1032. latis, & ab HARDVINO *tom. VI. P. I. p.* 904 & *p.* 912. editis, Lege XIII. reperitur: *Si quis capitalis rei damnatus sua ingenue sacerdoti peccata confiteri cupierit, id ei conceditor: si quis autem denegarit, numerato regi centum & viginti solidos: aut saltem adiunctis sibi viris quinque se culpa liberato.*

ex nouissimo potentissimi Borussiæ Regis edicto *d. 9. Ian. h. a.* promulgato, omnes criminales processus paucorum hebdomadum spatio absoluendos esse, prudentissime cautum: tempori tamen, præparationi inquisiti ad mortem necessario, limites nulli sunt positi, adeoque etiam hoc eis non videtur ademtum esse. Denique iudex alia occasione quoque de *aduocandis animæ & corporis medicis* sollicitus esse debet, in caussa nimirum sortilegii, magiæ, & denunciati pacti cum diabolo, vel alius superstitionis, cum ad hæc homines plerumque ex superstitione & melancholia delabantur, cuius depellendæ ergo *animæ* & *corporis medici* adhibendi, quorum cura & sollicitudine id non raro efficitur, vt mens ægra ex corporis male adfecti qualitatibus, ad phantasmata quæuis suscipienda aptissima, per *medicamina naturalia* & *spiritualia* sanetur, & in statum suum pristinum restituatur. Hac rationabili methodo neglecta inquisitores, sola confessione siue extorta, siue spontanea & phantastica contenti, grauiter peccant, & nonnumquam malo hypochondriaco grauissime laborantes, ut confessos igni tradunt, ex ignorantia constitutionis corporis male adfectæ. Momentosus est casus, quem dn. PARENS *tom. V. iuris eccles. protest*, qui iam sub prelo sudat, *l. V. tit. XXI. de sortilegiis* §. *XXIII. p.* 462. adducit, vbi inquisitio contra hominem miserrimum carceri mancipatum instituta est, qui aliquoties per varias circumstantias confessus erat, se pactum cum diabolo iniisse, atque ea perpetrasse, quæ omnem superabant fidem. Cum vero ex protocollo constaret, ipsum in examine sæpius reiterato angoribus summis premi, atque conquestum esse, præsentem diabolum in hoc vel illo angulo se videre, atque ab eo euocari: per sententiam scabinatus (aa) huius vrbis amplissimi

(aa) Ipsum sententiæ tenorem & reliquam actorum seriem, adiecto responsu

pliſſimi iudicatum fuit,hominem ante omnia *medicis corporis & animæ* committendum, &, adhibita *medicina vtraque*, de *mentis* & *corporis* qualitate ſolertem indagationem inſtituendam, nec in re tanti momenti fidem ſoli confeſſioni inquiſiti adhibendam eſſe. Adhibiti ergo ſunt prudentes medici ad examinandum eius corpus, qui mox ex ſomni & corporis qualitatibus animaduerterunt, eum grauiſſima hypochondria laborare, atque corpus tam male adfectum eſſe, vt parum a delirio abeſſet. Accedebat quædam *læſio capitis* ante plures annos,dum de curſu deciderat, accepta , quæ confuſionem idearum adhuc magis promouebat. Quocirca aliquoties venæ ſectio iterata, cum aliis ſalutaribus remediis adhibita, & theologis negotium datum, vt eius animæ, obruteſcenti, ſuccurrerent , &, conuerſionis ſalutaribus adhibitis remediis, eam in veram reducerent viam. Hoc modo tandem, ad animum & priſtinam ſobrietatem rediit, atque agnouit, magno cum mentis gemitu, ſe per corruptiſſimam imaginationem non aliter credidiſſe, quam hæc plantasmata vera eſſe, quæ antea confeſſus erat : iam vero ſibi hæc omnia, quaſi in ſomnio apparuiſſent, videri nec vnquam, quod de circumſtantiis pacti initi allegauerat, factum fuiſſe , quæ

reſponſo facultatis medicæ, ſuccincte & neruoſe recenſet *Venerandus Academiæ noſtræ ſenior, Illuſtr.* FRIDERICVS HOFFMANNVS *in medicina conſultatoria tom. IV. Dec. II. caſ. X. p.* 149. Das Inquiſit den Predigern göttliches Worts zu untergeben, und ihm erfahrne medici zuzuordnen , welche ſeine Leibes-und Gemüths-conſtitution unterſuchen, und davon pflichtmäßigen Bericht ertheilen ſolten , dieſer aber mit denen Acten ſodann einer medicinischen Facultät zuzuſenden, und ihr Gutachten darüber einzuholen.

præterea etiam male cohærebant. Ipſam actorum ſeriem breuiter etiam excell. dn. ALBERTI *in iurisprud. med. P. II. conſ.* 24. *p.* 206. *ſeqq.* repetiit. Similis tenoris præiudicium contra *ſuperſtitionem grauiorem*, quam inquiſitus faſius erat, adfert dn. PARENS *cit. l. inf. de ſortil.* in quo *medicis animæ* inquiſitum, quo ab hac labe in veram deduceretur viam, ante omnia committendum eſſe, decretum fuit.

TANTVM.

Uebersicht
der
diplomatischen Verhandlungen
des
wiener Congresses überhaupt,
und
insonderheit über wichtige Angelegenheiten
des teutschen Bundes.

Von
D. Johann Ludwig Klüber,
großherzoglich-badischem Staats- und Cabinetsrath ꝛc.

Erste Abtheilung.

Frankfurt am Main
in der Andreäischen Buchhandlung
1816.